



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hessus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)







Tragula nnn vishabaam  
 Duplarium nnn vishabaam  
 Nasa nnn vishabaam  
 Ames nnn vogalclawa  
 Carea nnn vogalclaw  
 Alucus nnn Fros  
 Novacula nnn Dymnina  
 Cacabus nnn Cabul  
 Morfarium nnn Mosar  
 Pissilus nnn Totur  
 Lechus nnn Obindros  
 Situla nnn Emma dar  
 nnn Wassar mada gus  
 Mallurium nnn Sandstarr  
 Ullurium nnn Gnyvay  
 Felleia nnn strum duka  
 Botulus nnn Mettwort  
 Tomasilum nnn Luvnwort  
 Ollum foun olin  
 Colostrum Dast Malheram  
 Serum Waduka  
 Serum Sutyrium Dostarmalt  
 Menem fustardrand  
 Emanonum nnn Kuchstarr  
 cerea nnn wapsent  
 Platum nnn wapsent  
 Fingula nnn Winda  
 Achanhu nnn Trappige  
 Paru nnn Mase  
 Ciumula nnn Fysula  
 Plotalia nnn Gundeftur  
 Pygatus nnn Traxion  
 Nereu nnn Dukat  
 Crabs nnn Gornida  
 Pyrolampis nnn Hwallast  
 Cicada nnn Gornida  
 Alura nnn Luvnwort


Perfer et obdura color hic  
 tibi proderit olim  
 Quia in Pupa  
 radipala madipala  
 Pua nocent docent  
 arq. viciis isy. Ex ope radipala  
 alla cum radipala viciis isy. & B. B.  
 Aila. Vi. ista est, non qui nihil  
 inuste apu, sed qui, cum inesse  
 agere poterit tamen non vult  
 Polimon

Th. 5831.











*Sum ex libris Joannis Dammis*

PSALTE  
RIVM DAVIDIS  
CARMINE REDDITVM  
PER BOBANVM  
HESSVM.

CVM ANNOTATIONIBVS  
VITI THEODORI NORIBER  
GENSIS, QVAE COM  
MENTARII VICE  
ESSE POS  
SVNT.

*Coll. Soc. Jesu Paderb. 1661*

CVI ACCESSIT  
ECCLESIASTES SALO  
MONIS, EODEM GENE  
RE CARMINIS RED  
DITVS.

*Sum ex libris Joannis Nicij 1699*

LIPSIAE IN OFFICINA  
VALENTINI PAPAE.

ANNO.

M. D. LVII.



*Sum ex libris Justici  
Schraderi*



LECTORI.

*Sic etiam uili iacuit uelatus amictu,  
Dum sua Dauides supra flet ante Deum.  
Quem nunc ire uides peregrina in ueste recinctum,  
Forsitan exuias exulis esse putes.  
Qua ille cuiusq; uides talem dedit anxia Musa,  
Hesidos in superos & sacra tanta, sitis.  
Restat ut agnoscas Lector bone, leua malorum  
Nil moror in clades nomina nata suas.*



# VITVS THE

ODORVS PAVLO PFINZIN=

go, Martini filio, Patricio No=  
ribergensi. S. D.



VM IN MANVS VENIS  
set nostri Eobani præcla  
rum hoc Psalmorum o=  
pus, mi Paule, gratulatus  
sum tacite hanc insignem  
commoditatem discendi non iuuen=  
turi solum, quæ ad recta studia educa  
tur, sed Ecclesiæ quoque cui imprimis  
conducibile est, res sacras erudite &  
perspicue explicari. Nam cum hoc  
omnium iudicio constet, Psalmorum  
librum singulare spiritus sancti opus  
esse, propter insignem gravissimarum  
rerum copiam, profectio summum in  
eo operæ precium Poëta fecit, quod  
tantas res cum tanta perspicuitate in  
Poëmate, ceu in clara luce, conspici=  
endas proposuit. Nam cum carminis  
ratio illas usitatas sacrarum literarum  
figuras non ubique reciperet, non iudi=

cij solum, sed & facultatis singularis

Aa 2 fuit



## EPISTOLA

fuit ista (ut Græci dicunt) *καὶνὰ καὶνῶς*  
dicere, ut neq; de sententiâ Prophetæ  
aliquid mutaretur, nec Latinas aures  
inuisitata in carmine phrasîs offende-  
ret. Hæc quia Eobanus noster singu-  
lare nostri sæculi ornamentum, mira-  
bili felicitate præstitit, profecto Eccle-  
siæ utilissimū laborem reliquit. Nam  
si mihi in hac re libere dicendum est,  
quod sentio, omnino sic iudico, hanc  
Eobani Psalmorum expositionē plus  
longè lucis ad Germanam Prophetæ  
sententiâ rectius intelligendum at-  
tulisse, quàm omnes omnium commen-  
tarios, q; intra annos quadringentos  
in scholis scripserunt. Ut igitur opus  
Ecclesiæ utilissimum, in scholis iuven-  
tuti cum maiore fructu posset propo-  
ni, uolui aliquã studioꝝ meorum par-  
tem in id ponere, ut hi Psalmi Argu-  
mentis explicati, & dispositione, ac  
scholijs pro mea mediocritate illustra-  
ti, ederent. Quomodo enim possunt  
iuuentutis studia rectius institui, quã  
si hoc modo cum liberaliore doctri-  
na

na



na etiã religionem discant? Nam hoc  
 citra controuersiam omnes eruditi fa-  
 tentur, plurimũ momenti ad compa-  
 randam aliquã liberalem doctrinam  
 in eo esse, si pueri statim assuefiant, ad  
 pangendum carmen. Ego uero haud  
 scio an possit in scholis aliud aptius  
 exemplum fingendorũ uersuum pro-  
 poni, quã sunt Eobani nostri uersus,  
 elegantia, facilitate & suauitate præ-  
 stantes. Eiusmodi cum sint Ouidiani  
 quoq;, quis tamen non malit iuuentu-  
 tem simul sacra discere, quã nondum  
 bene confirmatos animos in profa-  
 nis lusibus uersari?

Hunc igitur meũ laborem, mi Pau-  
 le, uolui tibi dedicare, ut intelligeres  
 usitatum meum erga nostros ciues a-  
 morem & studium, quos cum quoti-  
 dianis cohortationibus ad literas co-  
 lendas exuscitem, etiam aliqua parte  
 operarum mearum iuuare uolui. Ac  
 te in primis hortor, quem non solum  
 illustria Patruorum, in aliquot Impe-  
 ratorum aulis nomina, ad recta stu-



EPISTOLA

dia impensius colenda excitare debent. Sed etiam Respublica, ad quam olim accessurus es, ut cum literis etiam religionem coniungas. Ita enim fiet, ut & tibi clarum ad posteritatem nomen compares, & Reipublicę consilia, & actiones tuę omnes sint salutare, id quod Christus, inspector studiorum & uite tuę clementer faxit, Amen. Bene uale. No-

riberge Calend. Feb.

Anni 1538. Ex

Parochia Se-

baldina.





NVNCPATORIA.

# ILLVSTRI

ET INCLITO HEROI AC DOMI-

no, D. Philippo Hessiæ totius ac finitimarum ali-

quot circa Gentium Principi etc. Domino

suo perpetua fide colendissimo, H.

Eobanus Hessus. S. D.

**Q**ui tibi uindicibus uictori nuper ab armis,  
Heroa cecini iusta trophæa tuba:  
Idem nunc Elego Dauidica carmina plectro,  
Principe te tali munera digna fero.  
Illa sed exiguum Thuringi flumen Hieræ  
Miserat, ad Fulde littora pulcra tui.  
Hæc tibi nunc Musis illustri Lanus ab urbe  
Mittit, & accipias munera grata rogat.  
Sunt tamen hæc illis tanto meliora prophanis,  
Quanto sunt omni sacra priora gradu.  
Accipe Psalmographi tibi debita carmina uatis,  
O Princeps animo diuitijsq; potens.  
Nam quia tu nostras potuisti reddere Musas,  
Iussisti & patriæ dulcis amore frui.  
Quem magis ex merito tali dignentur honore,  
Tu nisi, nunc isto tempore, nemo fuit.  
Præcipue cum sacra colas nunc ista professus,  
Quæ nisi quod uerum est, nil rationis habent.  
Dotibus ingenij cum sis inuictus & armis,  
Et uera foueas cum pietate fidem:

Aa 4

Præa



## EPISTOLA

Præterea studijs & fãutor & autor honestis,  
 Te duce quæ patria hæc, cui dominaris, habet.  
 Quis te non merito uel iniquus lior amarit?  
 Quis non obstupeat laudis honore tuæ?  
 Hæc tua te decuit uirtus, hæc gloria uera est,  
 Magnanimi specimen Princeps illud erat.  
 Eia igitur Regum clarissime sanguis auorum,  
 O annis maior magne Philippe tuis.  
 Accipe fatidicos, Dauidicacarmina, Psalmos,  
 Accipe Iessæ plectra canora lyre.  
 Quæ tibi dũ meditor, iam me hoc uidet alter agentẽ  
 Dum uarium coeli Phœbus oberrat iter.  
 Dixit audaces aliquis fortasse Camœnas,  
 Aggressas maius, quam decuisset, opus.  
 Nec deerunt quos hæc nouitas inuisa mouebit,  
 Hei mihi cur ludus tam uetus hic nouus est?  
 Fallor & an dicent, cur uera oracula uatis,  
 Tam male contorto carmine falsa facis?  
 Dij melius, quis sacrilegam, per talia Musam  
 Crimina, ter dignam non putet esse mori?  
 Si tamen hæc, ut plena malis sunt omnia, quisquam  
 Scripta cauillatus crimen habere putet.  
 Sentiet haud quaquam nos hæc pueriliter ausos,  
 Nec scriptum hoc pueris ut legeretur opus.  
 Sed quia iudicio genus hoc laudetur eorum,  
 Qui merito laudem temporis huius habent.  
 Nec tamen inuidiæ nunc respondere uolebam,  
 Est opus alterius temporis iste labor.

Ad



NUNCUPATORIA.

Ad te iterum redeo Princeps fortissime, cuius  
 Auspicio est studijs redditus omnis honor.  
 Qui sicuti patriæ renouas uirtutis honorem,  
 Armis, consilio, religione, fide.  
 Sic etiam studijs illam melioribus ornas,  
 Nobilis inuecto nuper honore Scholæ.  
 Hic ubi monticolam Lanus tuus alluit urbem,  
 Inclyta quæ prisca nomina Martis habet.  
 Si tibi nunc nostri possint placuisse labores,  
 Et sensus aliqua parte mouere tuos:  
 Non mala Hesperidum potius, non aurea malum  
 Vellera, quæ locuples Phasidos ora tulit.  
 Nam mihi res magno stetit ista labore, nec ullum  
 Extitit è nostro carmine maius opus.  
 Sunt fateor, meliora meæ scripta edita Muse,  
 Et quibus in uersu gratia maior inest:  
 Qualia sunt, cantata mihi iuuenilibus annis  
 Plurima, & hoc etiam tempore multa super.  
 Quæ mihi sunt inuenta meo Marte omnia, uires  
 Ingenij nequeunt dissimulare mei.  
 Molli cæu digitis fingentibus omnia cedunt,  
 Et sequitur doctas æmula cæra manus.  
 Sic quibus ipse parens fueris, quæ inueneris ipse,  
 Quacumq; ipse uoles finxeris arte licet.  
 Præscriptum alterius fuit hac in parte sequendum,  
 Et labor ingenij non fuit iste mei.  
 Non secus ac si quis magni conetur Homeri,  
 Vertere Romano carmina docta stylo:



EPISTOLA

Eximium multa turbet ratione Poetam,  
 Præscripta nunquam iussus abire uia,  
 Sic mihi Psalmographi conanti reddere sensus,  
 Præcipuus uel in hoc & labor omnis erat.  
 Ut sensum assequerer, quærenti uerba, figuris  
 Nec linguæ ratio, nec phrasis una fuit.  
 Adde quod est eadem toties repetisse molestum,  
 Qui labor in scripto, dic mihi, maior ubi est?  
 Nec mihi me similem uolui per cuncta uideri,  
 Hic ego me fieri Prothea posse uelim.  
 Huius uel minimum nunquid sum laudis adeptus,  
 Vix puto iudicium temporis huius erit.  
 Hæ causæ fortasse aliquos offendere possint,  
 Qui sunt iudicio candidiore parum.  
 Debebunt tamen hoc iudem meminisse, quod huius,  
 Si quid inest uitij, ne reus ipse ferar.  
 Nec potui, toties luctatus, ut omnia possent  
 Mille modis uaria disparitate legi.  
 Quare me uenia dignum quoq; lector habebit,  
 Si quis in eximio corpore næuus erit.  
 Tu nunc Hæsiacæ Princeps fortissime gentis,  
 Temporis, & merito fama Philippe tui.  
 Assere Psalmographæ tibi dedita carmina Musæ,  
 Pectore quam forti teq; tuosq; soles.  
 Quod tu si facies, facies te Principe dignum,  
 Et, quod perpetuo non moriatur, opus.  
 Vnde tuis gestis accedat gloria rebus,  
 Cuius te nunquam poenituisse queat.

Non



## NVNCVPATORIA.

Non etiam, nisi mens fallit prasaga, pudebit  
Dauidem forti sæpe tenere manu,  
Ipse quoq; è bellis uictor, Psalteria sæpe  
Dicitur inuicta sustinuisse manu,  
Quod tantum decuit Regem, tantumq; Prophetam,  
Te quoq;, Dux noster, posse decere puta.  
Et nostros defende tua uirtute labores,  
Qui nunc ex multa sunt ratione tui.  
Qui tibi si placeant, ut spes est magna, fatebor  
Iam mea, quæ uoluit, littora puppis habet.  
Viue diu: sobolemq; tuis felicibus auge  
Sortibus, & patriæ splendida facta domus.

## DE FRVCTV ET

### VTILITATE LECTIIONIS

Psalmorum, Elegia Eobani

Hesi.

**Q**uisquis habes uarijs obnoxia pectora curis,  
Acceptoq; aliquam uulnere quæris opem.  
Nec potes humana, quæcunq; sit, arte iuuari,  
Hæret, & est soli spes tua fixa Deo.  
Inspice Psalmographi diuina poemata uatis,  
Inuenies quæ te cura leuare queat.  
Siue tuis nocuit grassator finibus hostis,  
Non alia melius pellitur hostis ope.  
Seu res est peculata tuas manus improba furum,  
Inde, quod ablatum reddere possit, erit.

Exda.



ELEGIA

Exactum patria premit inuidiosa tyrannis,  
 Hinc tua soleris tristia fata licet.  
 Insidias posuere tui tibi, & undiq; captant,  
 Cum Dauide Deum consule, tutus eris.  
 Pignoribus uiduata domus tua luget ademptis,  
 Auxilium luctus non aliunde feres.  
 Pauperie premeris, domus esurit, urget egestas,  
 Hunc pete, ab hoc diues copia fonte fluet.  
 Iam tua carnifices populantur corpora morbi,  
 Hinc ueniet morbis certa medela tuis.  
 Pressus es inuidia, uulgo contemptus haberis,  
 Huius ab exemplo tu quoq; fortis eris.  
 Pulsus es e summis, deiectus ad infima luges,  
 Hunc sequere, euades infera, summa feres.  
 Assiduis culti sterilescunt solibus agri,  
 Hinc pete fructifero qui riget imbres solum.  
 Imbribus assiduis sunt obruta semina terræ,  
 Hinc pete qui iustis solibus arua iuuet.  
 Ah miseros qui signa notant & sidera spectant,  
 Et spes inde hominum uanaq; uota trahunt.  
 Deniq; quicquid erit, quæcunq; incommoda rebus,  
 Humanis aliqua clade nocere queant.  
 Omnia Psalmographi diuina poemata uatis,  
 Spe certa, & forti pectore ferre docent.  
 Et non ferre modo, uerum quoq; pellere, si quis  
 Pectore, quo cecinit qui dedit ista, canat.  
 Nec modo fortune, dubijsue medebere rebus,  
 Manat ab hoc animæ maxima fonte salus.

Tana



ROBANI HESSI.

Tam non ulla male mens est sibi conscia culpæ,  
 Quæ non inde habeat quo sua damna leuet.  
 Tam nullum miseros grauat intolerabile sensus,  
 Quod non hic aliqua parte leuetur, onus.  
 Inunc fatidicis humana uolumina scriptis  
 Confer, & istorum quodlibet inde pete.  
 Tam male fallëris, quàm qui sub imagine somni  
 Inuenit, & falsa continet æra manu.  
 Inunc humanas morbis medeare per artes,  
 Quodq; Deo debes quære aliunde bonum.  
 Ne faceres melici monuit sepientia Psaltæ,  
 Qui sacrum lyrico pectine pulsat ebur.  
 Hunc dedit expositum docti tibi cura Lutheri,  
 Qua te cunq; iuuat uoce uel ore loqui.  
 Quamuis Theutonica Dauidem uoce loquentem  
 Dum lego, Romano me pudet ore loqui.  
 Totus ad exactum sic est sibi redditus unguem,  
 Hic ego, uel studio, barbarus esse uelim.  
 Quidam alij uario uerterunt carmine Psalmos,  
 Carpentès cauta quos uoluere, manu:  
 Spernentes alij numeros, uertère pedestri  
 Psalmographi uatis carmina sancta stylo:  
 Ut iam quæ patribus fuerant incognita priscis,  
 Nota uel è truuio cuilibet esse queant.  
 Sed quia non sapiunt eadem omnibus, omnibus horis  
 Et uario gaudent multa palata cibo:  
 Ipse quoq; è multis, nec multa nec optima legi,  
 Quæ fierent Elego carmina nostra pede.

Quæ



ELEGIA EOB. HESSI.

Quæ me scribentem Pegnesidos accola rupis  
Vidit, & in proprio Noricaberga sinu  
Cum tamen à caris, & adhuc, urgerer amicis,  
Et studijs essent turba molesta meis.  
Arripiens fâteor, semel omnia scripta peregi,  
Quicquid Psalmorum lingua Latina tenet.  
Atq; ita ne precibus sæpe aduersarer honestis,  
Nostra per hæc semel est libera facta fides.  
Non quia me præstare putem potuisse, quod huius  
Temporis innumera præstitit arte labor:  
Sed quia materia fieri meliore Poetam  
Iuuit, & hæc ratio prima probata mihi est.  
Tum quia doctiloquo non sorduit ista Philippo,  
Dignato tali ludere sæpe modo.  
Huic etiam debes, si te mea fortè iuuabunt,  
Quæ tibi Psalmographo sunt data scripta pede.  
Hactenus est ratio tibi reddita, cur mea nuper  
Facta sit abiecta Psaltria Musa lyra.  
Quisquis Iessæi legis hæc monumenta Poete,  
Dij faciant fructu non pereunte legas.

CLARIS



# CLARISSIMI MONOSTRI SECVLI POETAE

et pio et casto D. Eobano Hesso, suo in  
Domino fratri charissimo

MARTINVS LVTHERV S.  
D.



Ratiam et pacem in Domino nostro IESV Christo, Amen. Psalterium tuum, Clarissime Eobane, et in Domino frater charissime, tuo nomine mihi redditum accepi. Et summa uoluptate legi, lego, legamque semper: ita gratus est mihi labor tuus in hunc mihi suauissimum librum collocatus. Agoque tibi gratias quam maximas, quod per Musas tuas, tam benignas, tam pijs, mihi uidere licuit Poëma hoc regium, diuinum, et inter Hebræa excellentissimum, Latinum factum. Nam et aliorum omnium studia, qui in hoc Poëmate uertendo, illustrando et excolendo operam nauarunt, magnifice laudo, etiamsi alicubi forte non omnia assequantur. Neque enim omnes omnia possumus, exceptis his, qui nobis Iudaicas tenebras in clarissimam lucem aliquot Psalmorum inuehant, hoc enim non possum non fastidire: Ita tuum maxime probo, qui primus et fortasse unus inuentus es in uniuersa lingua Latina, qui Poësim hanc diuinam, Poesi Latina reddere tam feliciter aggressus sis, et pari felicitate perfeceris, in qua

re



EPISTOLA PHIL. MEL.

re hoc tuum opus ualde amo, ac primum hanc uoluntatem laudo, quod Musas tuas ad celebranda diuina oracula, & ornandam religionem exuscitas. Ego quidem ut reliquam Musicen, ita Poeticam iudico religionum conseruandarum causa initio hominibus donatam esse: Cuius illa scribendi carminis, sine ulla dubitatione, coelestis quidam motus sit, maxime conuenit Poetis, eam uim ad res diuinas illustrandas conferre. Itaque praecclare illa dicuntur, cum ab alijs, tum a Pindaro, Musas primum debere Deum canere. Gratulor igitur tibi hunc animum, quod Musis tuis, hoc est, felicissima ingenij uena diuinitus donata, res diuinas celebrare studes: Deinde etiam iudicium probo, quod Psalmos delegisti. Erat enim facilius, aut nouos Hymnos scribere, ut fecit magna cum laude Pontanus, aut Historicum argumentum tractare, quod splendescere magis potuit, quam ob causam Vida hystoriam Christi descripsit. Et in huiusmodi argumentis quanta sit ubertas, quanta suauitas, quantus nitor Heroides tuae declarant. Sed uideo te utilitatis publicae rationem habuisse, quod Psalmi recte translatis, & ueluti habitu Latino ornati, multo facilius intelliguntur. Haec figurarum & phrasium explicatio multum lucis affert, & conducit ad iudicandum adolescentibus. Quare & ad pietatem, & ad formanda iudicia studiose iuuentutis, deinde etiam ad incitandas generosas naturas ad studiū Poeticas, prodesse hanc Psalmorum editionem statuo. Scis autem & illud Poetae

etc



EPISTOLA PHIL. MEL.

ēte officium esse in Repub. ut & Plato & alij multi  
 preceperunt, ut scribat utilia uitae seu moribus, quod  
 in hoc opere tu quidē egregiē praestitisti. Postremō,  
 etsi scio quā sint morosa iudicia, & de sententiariū  
 proprietate, & de genere uersuum, tamen ego in alte  
 ro diligentiam tuam, in altero felicitatem laudo. In  
 eptissimum genus est illorum, qui quadam Iudaica su  
 perstitutione addicti glossematis Iudaeorū, cum figuras  
 non intelligant, nec sententiariū ordinem animaduer  
 tant: saepe absurdas interpretationes, ac uerē, ut Grae  
 ce dicitur, ἄγαν δὲ μέλῳ affingunt. Hos sibi pla  
 cere sinamus, tu Musis et melioribus ingenijs canito.  
 Ago itaq; gratias tibi & meo & publico nomine,  
 quod Ecclesiā pulcerrimo monumēto ornasti, & in  
 uentutis studia accēdis & adiuuas. Neq; hoc meū iu  
 diciū obscurum est. Soleo enim adhortari adolescē  
 tes nostros, ut hoc scriptum legant & ament, Propte  
 rea quod & Psalmis multū lucis affert, & prodest  
 his communibus studijs. Nam cū diuina quadā inge  
 nij felicitate, ueterē & pulcerrimam carminis formā  
 reuocaueris, nostros homines ad studiū Poëtices inui  
 tasti, quod ad eloquētiē studia conseruanda plurimū  
 affert momenti. Quare tibi multum debet Resp. &  
 debet posteritas, quod ingenij tui felicitate, & tua  
 diligētia, optimae artes excitatae et propagatae sunt,  
 qua laude, doctis quidem nulla debet esse opta  
 tior, Bene uale. Vuittembergae Cal.

Aug. M. D. XXXVII.

Bb 2 Iustus



IVSTVS IONAS  
LECTORI GRATIAM

& pacem.



OB ANVM HESSVM,  
qui elegantissimo carmine hoc no-  
bis reddidit Psalterium, inde ab an-  
no etatis meae XV. propter inge-  
nij ubertatem diuinam, admiratus  
sum semper, & tum quidem adolescens adolescen-  
tem. Iam sub ingrauescentem etatem utriusque no-  
strum, multo magis senem ad miror senex. Et quan-  
tumuis hebescentibus oculis, nunc primum cerno  
quam honorifica mihi, cum hoc tempore, tum ad om-  
nem posteritatem, futura sit amicitia illius uiri tanti,  
qui suis immortalibus Poematis non solum studia &  
litteras mirifice adiuuit & excoluit. Sed & ita conse-  
rens ad scribenda sacra illum zelum, illam industri-  
am praestantis sui ingenij & spiritus, non paulò cul-  
torem ornatioremq; reddi ait uniuersam doctri-  
nam Christianae professionis. Atq; hinc effusè me la-  
tari, gratulariq; mihi illam tam ueterem coniuncti-  
onem, & aeternam necessitudinem, cum hoc diuino,  
& immortalis Poeta, nemo miretur. Neq; enim parua  
apud me res est, me Eobane Hessi amicitiam, quam  
inde à teneris inter honestissima studia coalescere  
memini, subinde magis cultam confirmatamq; omni  
genere officiorum, his asperis & difficilibus tempo-  
ribus, quibus saepe leui occasione, arctissime coniun-  
ctorum



EPIST. IVSTI IONAE.

etorum dissilunt necessitudines, integram conseruasse, & quasi thesaurum magnis periculis seruatum & ereptum, transmissurum esse ad heredes. Ipse Eobanus iam olim, non solum summis quibusq; Italicis, Germanicisq; huius seculi ingenijs, sed cum omni uetustate facile certans. Quamuis multa praeclara Poëmata edidit, tamen praecipue id de hoc suo Psalterio iudicat, quod propter grauitatem & sanctitatem argumenti, Deinde quod opus senili quodam iudicio, & prudenter miroq; labore subactum & propositum est, ut docti facile iudicant, eò facilius superuicturum esse ad posteritatem. Proinde cum uiderem non displiciturum Eobano, ut huic aeterno operi adderem breue scriptum, in quo testatum relinquerem, quanti amicitiam uetustam nostram florenti aetate inter nos coeptam, & in hunc usq; diem sanctissime cultam, conseruatamq; facerem: quanti deinde illius Hesici Davidis Citharam, quam proximè Iessæi Herois suauitatem, & sonum referentem, omnibus pijs, & eruditis faciendam esse ducerem: Ad didi ergo hoc incultum, & tenue meum scriptum, non aliter atq; si discipulus pictoriae, ad excellentis artificis alicuius opus rude addat τὸ ἄγαν ἔργον. Psalterium inter summos scripturae totius libros esse nemo ignorat, eius laudes per sese celebres sunt satis cantatae, & nunc elegantissimis his Eobani uersibus dignae quibus ebuccinandis certatim incumbant, omnia summa & Eobani similima ingenia. Hortarer

Bb 3 Adolea



EPIST. IVSTI IONAE.

adolescentes ad terendum inter manus, tam diligenter hoc Psalterium Hesi, Poëtico, & miro ornatu uestitum, quam ipsius Dauidis diuina Poëmata ipsa, nisi uiderem Eobanum ita feliciter & diuinitus ipsum pondus rerum maximarum, uitam & ardorem affectuum, maiestatem, uim atque neruos orationis Propheticae assequutum esse, ut lectores facile inuitatura sit mira amoenitas carminis, ut Dauidem ipsum, si reuiuisceret, lectorem allicere felicissima imitatio possit. Et mirum non sit, si ad sic expolita Dauidica illius Citharæ dulcissimum & uere Musicum sonum, non solum omnes qui Literis, Musis, aut Fidibus non inimici sunt. Sed & ueluti ad Orpheum quendam arbores atq; saxa accurrant. Lector uale, & Psalterio Hesi dauidico fruire. Data Vuitemberge, Cal. Augusti. Anno à Christo nato M. D. XXXVII.

HELIO



# HELIO EOBANO

HESSO, REGI POBTARVM,

SPALATINVS

S. D.

**T**Am mihi quā reliquis semper Psalterion istud  
Proderit, ipsa ut res nos EOBANE docet.  
Nam sunt hic numeri Musis & Apolline digni,  
Et quos Christiadam numina cuncta probent.  
Et quos Christiadae discant sine crimine cuncti,  
Et quos Sarigenae semper in ore ferant.  
Hic puer, hic iuuenes, habet hic ueneranda senectus  
Quo felix, miseris libera rebus eat.  
Mentibus hinc nostris solatia certa petuntur,  
Quae nullis opibus mundus habere potest.  
Talia Iesseus ueheret quum laude Prophetes,  
Exultans Elegos iam rediisse suos.  
De Domini uerbo, uita, ambrosiaq; salutis,  
Quod fidei solo munere, corda beat.  
Sola fides hominem caelasti donat honore,  
Sola fides superis conciliare potest.  
Sola fides hominem peccato liberat omni,  
Sola fides mortem, & pessima quaeq; premit.  
Sola fides Christi fratres, sociosq; potentes  
Efficit, & caelis inserit una fides.  
Sola fides animos tetrico mœrore iacentes  
Erigit, & miseris pectora laeta facit.  
Sola fides Sathanam subigit, stygiasq; paludes,  
Clauibus his solis sidera summa patent.

Sola



EPISTOLA SPALATINI.

Sola fides uiuis, morientibus omnia donat,  
Sola fides regit, atq; omnia sola potest.  
Verbo iuncta fides alas dat in æthera utraq;  
Mentibus & socijs corpora nostra beat.  
His ducibus cunctos animi superabimus hostes  
Quamlibet è numero sordidiore sati.  
His ducibus semper uictoria signa feremus,  
His ducibus certi posteritate frui.  
Hæc tibi legitimum cano gratificatus honorem,  
Pro Psalmis meritò ter Eobane tuis.  
Dum uehor ad uerbi Christi incrementa tonantis,  
Ensiferi imperio Principis ipse mei.  
Exiliens animo Psalmos te autore renatos,  
Quos Cithara tali nulla Thalia dedit.  
Munere pro tali grates tibi tempora nostra,  
Et retinet quicquid posteritatis erit.  
Sed magis hoc semper qui te Spalatinus amauit,  
Qui iuuenis, qui uir, te celebrare solet.  
Coniunge cum casta, cum toto examine, felix  
Viue diu dulces Nestereosq; dies.  
Voti huius socius Doctor Megabacchus adesto,  
Quicquid & Aonidæon Theutonius ora fouet.]

PSALTE



# PSALTE

RIVM DAVIDIS CAR-  
MINE REDDITVM  
PER BOBANVM  
HESSVM.

## PSALMVS I.

Beatus uir qui non ambulauit in  
consilio impiorum.

ARGVMENTVM.

Conuenientissima præfatio in Psalmos,  
qua hortatur Propheta ad studium religio-  
nis. Quia autem hypocrisis magnam speci-  
em habet. Econtra uera Ecclesia sine specie  
est. Ad consolationem ueræ Ecclesiæ, egre-  
gie ornat fructus uerbi.

*Firmet ut humanas noua consolatio mentes,  
Quas habeant uires, quæ bona, uerba Dei.  
Qui Domino fidant, hos solos esse beatos,  
Quæ mancant reprobos, pagina prima docet.*

**F**ELIX ð nimum felix, qui facta malorum  
Impia conspiciens, noluit ulla sequi.  
Cui uia displicuit pro ueris falsa sequentum,  
Perditus incautum ne graderetur iter:  
Qui neq; conscendit damnosæ fulcra cathedræ,  
Quam derisorum turba maligna tenet.

*Proposito:  
Beatus est qui  
discedit ab Ec-  
clesia impio re  
& amplectitur  
puram doctri-  
nam.*

A

Huius



PSALTERIUM.

Ratio.  
Verbū non est  
ociosum, quia  
habet additū  
Spiritus fan-  
ctum, qui per  
id corda reno-  
uat.

Huius erit Domini lex infinita uoluptas,  
Quam labi ex animo tempora nulla, sinent,  
Hic erit assimilis grauidæ sua brachia palmæ,  
Quæ stat ad undantes iussa uirere lacus.  
Quæ feret oportuna suos in tempore fructus,  
Et sua quæ debet munera ferre, feret.  
Huic non ulla suos uis perturbabit honores,  
Nec folia à uentis illius ulla cadent.  
Hæc quæcunq; dabit, dabit optima, prodiga ueris  
Fætibus, optandas semper habebit opes.  
Tam bona non capiet, non impius ista uidebit  
Præmia, non tales talia dona decent.

ἀντίθεσις  
quæ minat Ec-  
clesiæ hypocri-  
tarum, quod  
sibi peritura.

Sed uelut à terra paleæ sparguntur inanes,  
Quas quocunq; uolet quælibet aura rapit.  
Impius instabiles sic euanescent in auras,  
Et nullum poterit certus habere locum.  
Ergo salutiferæ nec stabit in ordine turbæ,  
Cum iusto reprobis nec sociandus erit.

ἐπιφώνησις  
μ.α.

Nouit enim Dominus iustos, & uota piorum,  
Quorum quida iustus percipit aure preces.  
Sed cadet, & pœnas dabit impius omnis, & horum  
Omne quod instituent dissoluetur opus.

PSALMVS II.

Quare fremuerunt gentes &c.

ARGUMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi, & Chris-  
to, Mundum omnia conaturum, ut Chris-  
tum



stum & Euangelion de Christo opprimat :  
Sed Deum confirmasse Regnum filij sui. Qua  
re futurum esse, ut qui Euangelio obediunt  
saluentur: Qui autem non obediunt ut dam-  
nentur. Ac nota Prophetiam signare locum  
uulgandi Euangelij, sicut Psalm. CX.

Hic tibi uenturum Christum super omnia Regem,  
Per sua deuicta uulnera morte, canit.  
Horrendas in sceptris minas terrena ferentes  
Torquet, promissis pectora iusta leuat.

**Q**uis furor in tantam rabiem conuertere gentes,  
Quæ potuit fremitus causa fuisse noui?  
Cur populi toto tam friuola in orbe loquuntur?  
Cur nullum finem terror inanis habet?  
Namque rebellantes conspirauere Tyranni,  
Consilij Reges intumere nouis.  
Consilia aduersus Dominum insidiosa pararunt,  
Illius & CHRISTO quæ nocuisse queant.  
Improba, dicentes, rumpamus uincula, nam quid  
Non pudet istorum nos iuga seua pati?  
Ipsorum tamen ille minas ridebit inanes,  
Qui super & caelos & super astra sedet.  
His etenim risum Domino mouere, nec inde  
Effectus alios fabula uana refert.  
Cum siquidem uolet ipse, illis ea uerba loquetur,  
Iratum poterunt quæ decuisse Deum.  
Tum furor ipsius exardescet, & opprimet ausos  
Ad scelus audaces apposuisse manus.

Totus Psalmus narratio-  
ne constat, At  
que initio do-  
cet Christi re-  
gnum esse re-  
gnum crucis  
& spirituale.  
Quia mundus  
id persequitur

Iste est exitus  
furoris mundi,  
& pertinent  
hæc ad conso-  
lationem Ec-  
clesiæ in mun-  
do oppressæ.

A 2

Atq;



Atq; ita perficiet ne sint rata fœdera, quorum  
Tanquam non dubiam constituere fidem.

Altera pars narrationis, q̄ regnū Christi diuinitus sit cōfirmatum nec possit humāis uiribus aut cōsilijs eueri. Belle aurē depingit summā Euangelij, q̄d scilicet Christus sit filius dilectus, p̄ quem nos quoq; reconciliamur Deo, credentes in eum.

Ipsē autem statui Regem, Deus inquit, ut esset,  
Qui nostra in sanctum sceptrā Sionā ferat.

At mihi conditio hęc longē gratissimā uisa est,  
Rex ait, hęc lex est quam sine fine loquar.

Dixit enim Dominus mihi, mi carissime fili,  
Hac ego progenitum te mihi luce tuli.

Posce, feres quæcunq; uoles, quæcunq; rogabis,  
Nil tibi largā manus nostra negare potest.

Hæredem statuam populis te, totius orbis,  
Sub pedibus cernes subdita regna tuis.

Nec tamen imperium tibi finiet orbita solis,  
Qua uel summa petit, qua uel ad ima cadit.

Inde cœrcebis per ferrea sceptrā rebelles,  
Contundes manibus saxea corda tuis.

Tam facile hoc tibi erit, fragilē quā frangere testam  
Quam figulus celeris finxerit arte rotæ.

Narratiōi subiicit exhortationem. Ac in Hebræo suauissima figura est. Osculamini filium. Qua non solū significat reuerentiam, quam ei debemus, sed & amorem q̄ Christus nos complectitur, & uicissim nostrū officium.

Nunc igitur Reges resipiscite, quærite rectum,  
Quorum iudicijs terra regenda data est.

Et uanas auferte minas, submittite tandem  
Facti humiles, forti corda superba Deo.

Quinetiam cum læti eritis timor illius absit,  
Iratum grauis est res habuisse Deum.

Suscipite unanimes natum, ferite oscula nato,  
Ne si indignetur fortē nocere uelit.

Ne uos abijciat recta de sorte bonorum,  
Et sine diuina dispereatis ope,

Nam uelut ignis edax simul illius ira furorem  
Ceperit, in præceptis omnia uertit agens.

Felices



PSALTERIVM.

Felices quicumque illi confidere possunt,  
Quo sine non alia est spes rata, nulla salus.

Beati qui con-  
fidunt in eo.

PSALMVS. III

Domine quid multiplicati sunt  
qui tribulant me.

ARGVMENTVM.

Est mixtus Psalmus, habet inuocationem  
& consolationem insignem, quæ ambo no-  
bis tenenda sunt, cum Dauidis exemplo a  
mundo affligimur: Nam pertinet Psalmus  
proprie ad persecutionem.

Arma sui fugiens Dauides impia nati,  
His miser ante Deum uocibus usus erat.  
Exemplum nobis imitandum hoc ergo reliquit,  
Ut mala discamus ferre, subire, pati.

Psalmus Dauid cum Absolona  
fugeret.

**H**u mihi quanta meis insurgunt agmina rebus  
Summe pater, quæ me plurima tela petunt?  
Sunt etenim, quos non pudeat mihi dicere multi:

Quereja in  
qua proponit  
periculum. Et  
est narratio.

Spem uitæ in Domino non habet ille suo

Tu uero opponens clypeum Deus opprimis hostes,  
Insidias uitæ qui posuere meæ.

Consolatur se  
contra pericu-  
lum, potentia  
& misericor-  
dia Dei.

Per te uera data est, per te mihi gloria uenit,

Tu quasi capitis cornua fracta leuas.

*de la sagre homines* A 3

Voce



PSALTERIUM.

Inuocatio que  
est propositio  
nis uice.

Voce igitur querula Dominum in mea uota uocabo,  
Nunc quoque quando opus est, dum mala tanta premunt.

Audiet ipse sui sancto de uertice montis,  
Nec uoti uacuum spem finet esse mei.

Propositionem  
confirmat exem-  
plo suo. Hactenus  
mirabiliter  
in maximis pe-  
riculis serua-  
tus sum.

Nocte soporatus tota securus agebam,  
Lucifero tollens ex oriente caput.  
Certus eram siquidem, quia me presentia serua-  
tillus, in cuius sunt mea fata manu.

Non igitur metuum uel centum millia, quamuis  
Cuncta meum fortes in caput arma ferant.

Surge ser auxilium Deus o mi, redde salutem,  
Tu potes ablata reddere pacis opem.

Hostibus incutiens colaphos mala multa locutis,  
Tu sine maxillas dentibus esse facis.

ΕΠΙΘΕΤΟΝ

A Domino speranda salus, opus ille salutis  
Sonus habet, uita hinc, non aliunde uenit.

Α qua clau-  
dit precatio-  
nem. Domini  
est salus.

A te summe pater benedictio cuncta profecta est,  
Venit et in populum gratia larga tuum.

PSALMVS IIIII.

Cum inuocarem exaudivit &c.

ARGUMENTVM.

Est precatio contra crucem, quam co-  
guntur ferre pii propter confessionem. Ha-  
bet autem illustrem doctrinam additam  
contra scandalum crucis, quod Deus mira-  
biliter tractet sanctos, & tum eos maxime  
defendat, cum uidentur extreme derelicti.  
Atque hæc plena sunt consolationis. Titulum  
fere

130



fere omnes sic exponunt, quod sit decantari solitus Psalmus a principe seu magistro Musicorum, sicut nostris moribus collegia sacerdotum, suos succentores habent. Quare nomen Vincentis ubiq; uerte, aut accipe pro principe Musicorum seu chori.

Hortatur sperare pios, & ferre labores,  
Et soli in dubia fidere sorte Deo.  
Stulticiam obiurgat recidentis ad impia turbæ,  
Quam mancant iustos præmia pulcra docet.

Vincenti in melodijs Psalmus  
Dauid.

**A** Vdi summe Deum timida te uoce uocantem,  
Nunc tua sit uotis auris aperta meis.  
Audi iusticiæ nostræ pater unice & autor,  
Quo tantum salui iustificante sumus.  
Afflicti miserere animi, ueniamq; precanti  
Annue, nec miserum deseruisse uelis.  
Nam tua contemnunt oracula turba malorum,  
Quorum stulta grauis pectora fastus habet.  
\* Verum agite ô quicumq; & opes & regna tenetis,  
Quorum homines inter prædominatur amor:  
Dicite quo tandem mea gloria tempore uobis,  
Aut quo ludibrium desinet esse modo?  
Tantane uos capiunt contemti obliuia recti,  
Ut tam uana diu uos adamare iuuet?  
Quam uos uestra diu mendacia stulta iuuabunt?  
Quando aliquem finem stulticia ista feret?

A 4

Miri

Precatio: Opus  
ter iuua me.

Πάθω.

Obiurgatio eorum, qui offenduntur cruce et existimant afflictiones piorum esse signa iræ Dei. q. d. Filij sunt quos dominus corripit, at uos inflati successu, me non putatis esse filium Dei. Fiet autem uos presidia ista fallent, quia nunc fiditis, & ego ero in gloria.



Mirificas Domini tandem cognoscite leges,  
In quibus exercet, quos amat ipse, suos.

Deiicit, ut releuet, premit, ut solatia præstet,  
Enecat ut possint uiuere, & esse super.

Audiet ille meam, quoties petet æthera uocem,

Attenta aure meas audiet ille preces.

Discite meo exemplo patientiam, ut etiam si occasio sit, qua ad iram commoueamini, tamen eam uincatis patientia et spe liberationis. Hæc spes est Deo gratissimum sacrificium.

Quod si uos aliquis rapida furor implicet ira,  
Primus, peccatum sit metuisse, timor.

Ipsam se inspiciat propria mens conscia culpæ,  
Et secum discant pectora nostra loqui.

Sacra etiam, sed iusta Deo, nec iniqua fratris:

Sperate in Domino, spes rata talis erit.

\* Multi quæ bona sunt ignorant, & tamen audent

Dicere, quis bona nos uera docere potest?

Vultus ergo tui diuino lumine nobis

Irradia, tenebras discute, redde diem.

\* Redit ad obliuionem & repetit precationem. Addit autem insignem Anthitesin. Abundat alij pace, uino, oleo, Tu mihi uerbum gratiæ tuæ largire, quo me consolet &c.

Hoc siquidem infundis nostræ noua gaudia menti,

Dotibus exbilarans pectora mæsta tuis.

Illos larga iuuat cunctarum copia rerum,

Quas Deus ipsorum uenter amare solet.

Scilicet atq; oleo madidi, uinoq; fluentes,

Crescere se miseri per bona falsa putant.

At mihi cum placidæ demissi membra quieti,

Et curæ fugiunt, & timor omnis abit.

Huius debetur soli tibi gratia, namq;

Tu me securum uiuere & esse facis.

## P S A L M V S V

Verba mea auribus percipe &c.

Argu



## ARGUMENTVM,

Est precatio contra impios doctores, & habet insignem descriptionem falsæ doctrinæ, qua homines inflat fiducia propriorum meritorum, & ideo securos facit in grauissimis peccatis. Ad extremum tamen sentitur, quod conscientia nusquam acquiescunt, quam in uerbo Dei. Titulus pro hæreditariis, significat quod Psalmus docet de piorum & impiorum conditione & præmijs.

*Non habet infelix maiorem Ecclesia pestem,  
Quam qui pro ueris dogmata falsa serunt:  
Hos notat, hos contra Dominum rogat, inuocat, orat,  
Ne sinat hæc plebi monstra nocere sua.*

Vincenti pro hæreditatibus Psalmus  
Dauid.

**P**ercipe uerba tuas non uana ferentis ad aures.  
Mi Deus, & linguæ suscipe uota meæ.  
Conceptas admitte preces clamantis, & audi  
A te solo aliquam uerba rogantis opem.  
Quo sine non alius Deus est mihi, non alius Rex  
Quem precer, aut coram quo mea damna querar.  
Nunc rogo digneris pater exaudire uocantem,  
Quam primum orta noui lumina solis erunt.  
Mane nouo tua templa petam, spe plenus adibo  
Te quoque, ut obseruem quid tua dextra paret.  
Non equidem Deus es ceu uana è Gente Deorum,  
Impia cui placeant, qui mala facta probet.

Propositio.

Affectus ardorem significat cum tempus nominat.

Ratio Propositionis. Ideo.

A 5

Te



ero & spero li  
 herationē, ga  
 scio te non de  
 lectari aduerfa  
 riorum meorū  
 doctrina & ui  
 ta, atque hæc  
 ctu narratio  
 est.

\* *ὄψις*  
 addit. Ego nō  
 nitar mea dig  
 nitate & iusti  
 cia, sicut illi,  
 sed tua miseri  
 cordia.  
 Redit ad pre  
 cationem.

Descriptio fal  
 sæ doctrine &  
 pseudo pro  
 phetarum.

Addit impre  
 cationem.

\*  
 Votum quo fe  
 licia precatur  
 Ecclesiæ, & est  
 hæc promissio  
 exauditiæ ora  
 tionis.

Te neq; consistet coram ueri impius osor,  
 Turba maligna tuos corruet ante pedes.  
 Ante tuos oculos stulti fugere nec unquam  
 Conspectus poterint fulmina ferre tui.  
 Omnes namq; habuisti odio male semper agentes,  
 Vindice te mendax lingua coacta tacet.  
 Sanguinis & cædum cupidos Deus odit, abhorrens  
 Quorum sunt uarijs pectora plena dolis.  
 \* Ipse autem tua templa petam, tua linina uisam,  
 Confidens animi de bonitate tui.  
 Illic te timidis precibus uenerabor adorans,  
 Cordaq; spe plenus, plena timore feram.  
 Iusticiæ mihi frena tuæ pater indue, ut hostes  
 Hic aliqua nequeant parte nocere mihi.  
 Forsan aberrantem ne me ferus auferat hostis,  
 Ingrediar, quod agam te duce, certus iter.  
 Quando nihil certi, sed tantum falsa loquuntur,  
 Quorum uana nocens pectora uirus alunt.  
 Quorum auidas fauces & guttura foeda sepulcris,  
 Quæ semper pateant, assimilare queas.  
 Qui linguis aliud simulantibus omnia, blandis  
 Fraudibus urgebant, & nocuere dolis:  
 Arripe fac precor esse reos, te iudice caussa  
 Ut ne perficiant quod uoluerunt, cadant.  
 Et quia non statuere modum deformibus actis,  
 A facie hos omnes eijce, pelle, tua.  
 Te siquidem uitijs irritauere nefandis,  
 Parere imperijs nec didicere tuis.  
 \* Fidentes tibi perpetuos latentur in annos,  
 Te memores possint & tua facta loqui.

Nam



PSALTERIUM.

Nam tibi dilectos defendis ab hoste, nec unquam  
Oppressos curis tristibus esse sines.  
Omnia contribuens iustis bona, protegis omnes,  
Qui tua iactantes munera, nomen amant.  
Sicut enim grauibus miles circumdatur armis,  
Sic tuus hos miseros non sinit esse fauor.

PSALMVS VI.

Domine ne in furore tuo &c.

ARGVMENTVM.

Est precatio animi sentientis iram Dei &  
accusationem conscientiae, qua non potest  
esse alia saeuior tentatio & afflictio. Quare  
simpliciter confugit ad misericordiam Dei,  
in qua sola, animi possunt acquiescere.

Quales abripiant affectus corda piorum,  
Cum subeunt uitium, lex, metus, ira Dei,  
Quanta malos maneant mala, qua laeta omnia iustos,  
Pinxerit hac melius nulla tabella tibi.

Vincenti in melodijs in instrumento octo chordarum  
Psalmus Dauid.

**O** Deus immensi fabricator maxime mundi,  
Qui sine principio, qui sine fine manes.

Ad te confugio, & supplex tua numina posco:  
Da pater has aliquod pondus habere preces.

Ne, rogo, me quanquam est iusti tibi causa furoris,  
Argue dum saeuis, dum grauis ira tua est.

Propositio:  
Ignosce pec-  
catori.

Fateat se iusta  
ira Dei premi.

Neue



Neue licet meritum tormenta nouissima, puni,  
Dum tuus in cursu est, & mouet arma furor.

Prima ratio,  
quã non sumit  
a sua dignita-  
te, quã in tali-  
bus certamini-  
bus etiã apud  
sanctissimos  
nulla est: Sed a  
miseria & cala-  
mitate sua.

Quin potius miserere animæ peccasse fatentis,  
Quæ iacet, & Requiem non habet ægra suam.

Cuius inexhausto nihil est in corpore sanum,  
Languidaq; attonitus contudit ossa pavor.

Te sine non aliquot medicabile uulnus habenti,  
Te precor huic animæ, quod potes, esse uelis.

Quæ nunc ipsa suam deslet collapsa ruinam,  
Heu quanti exilium temporis illud erit?

Respice me placidoq; iterum conuertere uultu,  
Et mea placata uincula solue manu.

Secunda ratio  
sumta a perso-  
na Dei: Tu es  
misericors, &  
in laudem tuã  
cedit, si me iu-  
ues, ergo &c.  
Atq; hic iterũ  
cõmemorat ca-  
lamitatem su-  
am, ut eo ad iu-  
uandum Deus  
sit promittor.

Indigna fer opem presso grauitate malorum,  
Nomen inexhaustæ quod pietatis habes.

Nam tua nec memorant uitali lumine casti  
Facta, nec infernæ te colit aula domus.

Auxia continuo rumpebam pectora questu,  
Nec lacrimas oculi continuere mei.

Fletibus uda madent totas mihi stragula noctes,  
Et meus assiduo lectulus imbre fluit.

In gemitu & lacrimis facies mea tabida facta est,  
Totq; suis curis obruta consenuit.

Me labor ærumnæq; graues sine fine fatigant,  
Et nulla miserum parte ualere sinunt.

Ite procul, fugitote meos turba impia uultus  
Iam ualet ante suum nostra querela Deum.

Audit enim uotũq; fauet pius ille rogantis,  
Nec finit auditas non ualuisse preces.

Fæda meos properè confusio subruet hostes,  
Et timor auersos acceleratus aget.

Psalmus



## Domine Deus meus in te speraui.

## ARGVMENTVM.

Titulus Psalmi est ignorantia culpæ seu innocentia Dauid. Quia enim Semei Dauidi fugienti a facie Absolonis obiecerat, uir sanguinum es, reddidit tibi Dominus sanguinem domus Saul, cuius regnum tu inuastisti etc. Dauid hoc Psalmo se purgat, quod non per tyrannidem regnum Saulo ademerit, atque orat contra persecutores suos, ut eum Deus in regnum restituat.

*Probra miser passus Iemini dæ friuola Semei,  
Hac stens à Domino uoce petebat opem.  
Sic mundus cum probra pijs facit, omnia sana  
Mente ferunt, & habent qua releuentur opem.*

Ignorantia seu innocentia Dauidis, quam cecinit  
Domino propter uerba Aethiopsis  
filij Iemini.

**S**umme pater, sine quo non est spes ulla salutis,  
In manibus tota est spes sita nostra tuis.  
Quandoquidem non est alius cui fidere possim,  
Ne tibi fidentem deseruisse uelis.  
Quem misere affligit tot millibus ille malorum,  
Nec requiem pœnæ perfidus hostis agit.  
Sic pater afflicto taliq; sub hoste iacenti,  
Auxiliatrices porridge quæso manus.

**Precatio.** Af-  
fis mihi contra  
meos inimicos

Ne



Ne ferat illorum manibus data præda cruentis,  
Insidias animæ qui posuere meæ.

Certo etenim si me deprenderit impius hostis,  
Ut leo mansuetam dilaniabit ouem.

Sicut ouem quam nemo auida de fauce leonis  
Viribus humanis eripuisse queat.

Quod si tale aliquod scelus admisisse uidebor,  
Qualia multa in me deputat hostis atrox.

Si qua meis manibus patrata iniuria, cuiquam  
Si mea uerba obsunt, aut mea facta nocent.

Si uolui quenquam qui commoda pacis amaret  
Perdere, si damnum reddere cura fuit.

Horum si quid habet mihi quod ferus imputet hostis,  
Insidias animæ ponat, ut ante, meæ.

Omnibus affligat tormentis ista merentem,  
Nec cesset requiem non finire esse mihi.

Captiuo rapiat fontem de corpore uitam,  
Spes & honor uitæ non sit, ut ante, meæ.

Immundo reliquæ iaceant in puluere sortes,  
Sit mihi sic merito gloria nulla super.

Nunc age, nunc exurge, irascere, concipe bilem,  
Quam nequeat rabidus sustinuisse furor.

Deprime ceruices elatas, sentiat hostis,  
Colla superborum deprimere esse tuum.

Restitue officio quod te mandante subiui,  
Ut uideant qui te deseruere prius.

Conueniet circum te plurima turba bonorum,  
Et populi cætus te prope multus erit.

Hos propter cap: scepra manu, sustollere in altum,  
Te hic populus regem gaudeat esse suum.

Qui

Ratio petitio-  
nis, qua testa-  
tur innocentia  
suam. Loqui-  
tur autē de in-  
nocentia corā  
hominibus, &  
non corā Deo  
ac dicit se isto-  
rum criminum  
non esse reum,  
quæ obijciant  
animici.

Imprecatio cō-  
tra hostes, que  
cum propositi-  
one conuenit.  
Secunda ratio  
sumpta ab eccle-  
siæ commodis.  
Iacet nunc reli-  
gio, & cultus  
Dei, ergo pro-  
pter tuam glo-  
riam & Eccle-  
siæ utilitatem  
me in regnum  
restitue.



PSALTERIUM.

Qui populum Deus ipse tuum dydicat, idem  
 Iusticiæ causam iudicet ille meæ.  
 Tu causam discerne meam iustissime iudex,  
 Si mereor, si non mens scelerata mea est.  
 Perde malignantum cœtus, turbamq; rebellens  
 Destruc, quæ uitijs obruta corda iacent.  
 Assere iusticiæ cupidos, rege pacis amantes,  
 Qui Deus & renes cordaq; cuncta probas.  
 Interiora hominis qui conspicias omnia iudex,  
 Quo nihil immensus iustius orbis habet.  
 Auxilij Deus arma mei clypeumq; salutis  
 Solus habet, duce quo per mala uictor ero.  
 Subleuat ille pios & candida pectora habentes,  
 Iudicat ille malos, & scelus omne uidet.  
 Ingerit ille malis nullo non tempore pœnas,  
 Et reprobis nunquam desinit esse minax.  
 Quod nisi stulta leuis respiscat inertia uulgi,  
 Iam gladios acuit, iam sua tela parat.  
 Fortem letifero neruum contraxit in arcu,  
 Sumta uenenato spicula felle linit.  
 Iam feriet, iam percutiet mihi damna ferentes,  
 Iam, uelut à flammis, impia turba cadet.  
 En tamen ipse animo mala plurima cogitat hostis,  
 Ingentes misero parturit iste dolos.  
 Parturit iste quidem fœtum pariturus manem,  
 Aut si quid uano uanius esse potest.  
 Effodit puteum, foueamq; eduxit ab imo,  
 Et miser in latebras incidet ipse suas.  
 Ipsi in iugulum mihi tela parata redibunt,  
 Quas in me fraudes texuit, ipse feret.

Comminatio  
 qua aduersari  
 os monet, futu  
 rû ut Deus su  
 mar suppliciu  
 de ipsis, ni pos  
 nituerint.

Absolon noci  
 turus patri, si  
 bi nocuit.

ipse



Claudit Psal-  
mum gratiarū  
actione.

*Ipsē feram Domino, quas possum soluere, grates,  
Iusticia nunquam deficiente Deo.  
Et nomē uenerabor Olympia regna tenentis,  
Cui bene conferri gloria nulla potest.*

## PSALMVS VIII.

Domine Dominus noster &amp;c.

## ARGVMENTVM.

Est insignis prophētia de regno Christi,  
& Rege Christo, quod humiliabitur per cru-  
cem, & per resurrectionem iterum trium-  
phabit, potens Dominus totius creaturæ,  
etiā secundum humanitatem. Quare Ec-  
clesia quę est in mundo, infantibus & lacten-  
tibus similis, suum caput & Regem Chri-  
stum per prædicationem Euangeliij ornabit,  
& per totum mundum feret.

*Vltima prædicit morituri uulnera Christi:  
Qualiter & uicta surgere morte queat.  
Inuictas canit imperij super omnia uires,  
Cui suberit toto quicquid in orbe manet.*

Vincenti in Gethich instrumento musico  
Psalmus David.

Propheta ple-  
nus spiritu ad  
miratur regnū  
Christi tam mi-  
rabili ratione  
paratum & cō-  
seruatum.

**I**mperio qui cuncta tenens dominaris & orbi  
Terrarum, & quicquid machina tanta tenet.  
Quam meritō tua magnificis præconia magni  
Laudibus implerunt solis utranq; domum.

Quam



Quam merito tua maiestas super aurea cœli  
Templa sedens, pedibus subdita cuncta uidet.

\*Infantum, res mira, tuum sermonibus hostem  
Conteris, & linguæ simplicis arte necas.

Indiga qui uocis lætentibus ora resoluis,  
Hostibus ut uirtus sit tua nota tuis.

\*Inde ut ab exiguis tua nota potentia rebus,  
Et dextræ uires omnipotentis erunt.

Siue etenim ingentis spaciola uolumina cœli,  
Seu manibus uideam sidera facta tuis.

Aspiciam rutuli flammantia lumina Solis,  
Cornua seu Lunæ plena uidere libet:

Multa statim nostros subit admiratio sensus,  
Talia quæ faciat quanta sit ista manus:

Talia cum facis fabricator maxime rerum,  
Infima cur oculis respicis ista tuis?

\*Qualis enim mortalis homo est, ut sit tibi curæ,  
Dotibus ut dignum talibus esse putes?

Qualis ab humano generatus semine, ut ipsum  
Res tibi dilectas inter & ante loces?

Vix minimum distare Deo, uix parte relinqui,  
Illum te exigua constituisse liquet.

\*Inde coronatum sublimi ad sidera fama,  
Victorem & merito laudis honore feres.

Hunc Dominum super institues opera omnia mundi,  
Quæcunq; ante tuæ composuere manus.

\*Omnia quæ uellet simul omnia posse dedisti,  
Illius ante pedes cuncta creata iacent.

Omnia quæ uiridas pascunt armenta per herbas,  
Quicquid ubiq; ouium est, quicquid ubiq; bouum.

B

Quæq; cabis &amp;c.

\*  
Ecclesia plane  
dissimilis re-  
gno mundi.

\*  
Huc y sum psal  
mi recte qdam  
coniungunt cu  
superiori de in  
fantibus, ut sic  
sententia. Eccle  
sia est in mudo  
tanq; infantes.  
quare q ad ui  
res et potentia  
attinet, mudus  
longe superior  
est. Sed mudus  
no poterit Ec  
clesia opprime  
re, q est a Deo  
condita, & in  
Deo fundata.  
Hanc tanq; coe  
los, luna et stel  
las uidebo, nec  
poterunt ei no  
cere hostes ei  
us etc. Hesus  
aliam sententi  
am secutus est.

\*  
Hæc ad huma  
nitatem Chri  
sti pertinent.  
Ut sit sententi  
a: Mundus iu  
dicabit Chri  
stum hominē a  
Deo derelictū  
& abiectū, sed  
tu eum glorifi  
cabis &c.



\*  
Hoc ad solum  
Christum per-  
tinet.

Quæq; per incultos errant animalia campos,

Quæq; peragrarunt deuia lustra feræ.

\*  
Mihî omnis  
potestas data  
est in cælo &  
in terra.

Quæq; secant liquidum stridentibus æra pennis,

Quæq; per undosum Nerea turba natat :

Claudit pro-  
phetiam affe-  
ctu.

Ipsius imperio subdisti hæc omnia, & orbis

Vt Dominus, cunctas unus haberet opes.

O pater, ô magni fabricator maxime mundi,

Maior, & ô ipso, quem regis, orbe prior,

Quàm meritò tua magnificis præconia, magni

Laudibus implerunt solis utranq; domum.

## PSALMVS IX.

## Confitebor tibi Domine &amp;c.

## ARGVMENTVM.

Est mistus Psalmus, habet enim gratia-  
rum actionem pro liberatione a persecutori-  
bus, & precationem. Videtur autem esse pro-  
phetia de Ecclesia, quod & passura sit varias  
calamitates, & habitura liberatorem Deum.  
Titulum Lutherus interpretatur de speciosa  
iuuenta, hoc est, de Ecclesia renata per Spi-  
ritum & aquam, & subinde crescente, Chal-  
dæus interpres exponit, quod sit epinicion  
de morte Goliath Philistæi.

Prædicit fore, quæ Christo det nomina, gentem,

Quam multo è populo congreget una fides.

Hæc est illa Deo florens & grata iuuentus,

Sanguine quæ fuso pulchra trophæa feret.

Vincena



Vincenti de speciosa iuuenta Psalmus  
David.

**I**amdudum hic animus meritas tibi dicere laudes  
Expetit, ð rerum gloria, uita, salus.  
Incluta psallentes referent tua facta Camæna,  
Quæ Deus in toto maximus orbe facis.  
Afflictum capiet de te noua gaudia pectus,  
Quod te propicium sentit adesse sibi.  
Carminebus super astra feram tua nomina, quanquam  
Te celebrare satis carmina nulla queant.  
Terga dabunt hostes duce te, cecidere retrorsum,  
Terroris & uultus interiere tui.  
Tu nocitura ipsis pro me decreta tulisti,  
Iusticia iudex non habiture parem.  
Sublimi in solio sedisti ð arbiter æqui,  
Nam te salua mihi iudice caussa mea est.  
Increpitante quidem te gens dedit impia pœnas,  
Nec memor ipsorum fama relicta tibi est.  
Hostis acerbe tuis finem dedit ipse rapinis,  
Amplius in misero nec populator eris.  
Oppida de multis populatus pauca tulisti,  
Quorum posteritas non erit ulla memor.  
Tempore maiestas Domini non desinet ullo,  
Omnes è solio iudicat ille suo.  
Ipso omnes olim stabunt sub iudice Gentes,  
Arbiter ille æquus totius orbis erit.  
Afferet auxilium miseris, defendet egenos,  
Rebus in afflictis ille patronus erit.  
Nomine ergo tui studiosis certa relicta est,  
Quæ sine te non est spes rata, certa salus.

Propositio:  
Ago tibi gra-  
tias.

Ratio, quia ho-  
stes meos affli-  
xisti.

'Bella'  
ΑΥΤΙΘΕΤΙΣ.  
Hostes Eccle-  
się periere. At  
caput Ecclesię  
& ipsa Eccle-  
sia ac cultus  
Dei manet in  
æternum.  
Hoc est iudici-  
um uerbi, seu  
prædicatio Eu-  
angelij.

Promissiones  
quibus Eccle-  
siam afflictam  
consolatur.

B 2

Nulla



Nulla etenim tibi fidentes ratione relinquis,  
Nec te quærentes deseruisse potes.

Eia igitur Dominum laudate Siona colentem,  
Illius in laudes omnia regna uacent.

Ecce Ecclesia affligitur. Ille memor fuso sumit pro sanguine pœnas,  
Et semper miseris auris aperta Dei est.

Precatio. Respice me Deus omnipotens, miserere precantibus,  
Exilij causam respice quæso mei.

Exilij quod ab hoste fero, quo comprimit hostis  
Immeritum, hic misero, nam potes, affer opem.

Qui me letiferi de faucibus eripis orci,  
Vindice quo mors est nulla timenda mihi.

Ratio precati onis. Cedet liberatio hæc in tuam laudem si cut supra. In inferno quis confitebitur tibi? Ut laudis memoranda tuæ miracula narrem,  
Nominis ut celebrem facta stupenda tui.

Præcipue ut fiat per me tua gloria cunctis  
Nota, Sionæ as inter & ante fores.

Ut per te collata salus mihi gaudia præstet,  
Et quicumq; tuæ nomina laudis amant.

Promissio quod Ecclesie oratio exaudita sit. Incidit in foueam, quam gens inimica parauit,  
Capti sunt laqueo quem posuere mali.

Iusticiæ Dominus quia sit studiosus & æqui,  
Non aliquis certè qui neget esse potest.

Lutherus sententiam sic redidit: Compræhensus est peccator meditando, hoc est, peccantibus impij, pijs nihil faciendi bus, & ut meditentur uerbum & orēt. Per sua perdetur scelera impius, & sua uerbis  
Est uanis alio pœna futura loco.

Impius ad Stygias utinam cito transeat umbras,  
Et quicumq; Dei nescius esse potest.

Nam nunquam non esse memor uolet ille suorum,  
Quos labor & curæ tristitiæq; premunt.

Nec sua spes miseris erit irrita semper, & olim  
Exulibus ueniet sæpe petita salus.

Surge



Surge, ueta, ne forte hominum furor impius ultra  
 Inualeat, uires exuat ipse suas.  
 Debita quæq; ferant te iudice præmia, gentes,  
 Ante tuam faciem quod meruere ferant.  
 Præfice doctorem quo gentes erudiantur,  
 Ut se mortales scilicet esse sciant.

Precatur ut  
 Deus impietatem  
 hominum tollat,  
 mittendo uerbum,  
 suum & pijs doctores.

PSALMVS X.

Vt quid Domine recessisti.

ARGUMENTVM.

Hic Psalmus titulo caret. Est autem precatio Ecclesiæ contra Antichristum, uastantem Ecclesiam cædibus & falsa doctrina.

Oppugnat precibus fidei Christi eos hostem,  
 Qui sua ceu Christi regna colenda feret.  
 Quas feret ipsa sub hac Ecclesia sancta ruinas,  
 Quas feret, imo tulit, fert modo, disce, uide.

**C**ur adeo diuersus abis? cur tempore tanto  
 Tam procul à nobis dextera facta tua est?  
 Cur pater afflictos, & in affligentibus ipsos  
 Deseris ærumnis, ceu latuisse uolens?  
 Nam miser opprimitur cum præualet impius hostis,  
 Hi faciunt quicquid proposuere sibi.  
 Quin proprijs inuoluatur fallacibus hamis,  
 Quosq; alijs studuit sæpe parare, dolis.  
 Impius ipse sibi blanditur, & omnia iactat,  
 Quæ se posse putat, muneris esse sui.  
 Dumq; miser lucris inbians se laudat auarus:  
 Blasphemat lingua uituperante Deum.

Παθητικόν.  
 exordium.

Narratio, continens grauissimam accusationem hostium Ecclesiæ.

Arrogans.

Auarus.

Blasphemus.

B 3 Donec



- Confidens.** Donec salua sui feret impius arma furoris,  
 Quid precor est quod non arroget ipse sibi?  
**Securus.** Vt ne parua quidem momenta uel unius horæ,  
 Contribuenda ipsi cogitet esse Deo.  
**Verbi contemtor.** Illi quæ faciet feliciter omnia cedent,  
 At rata iusticiæ non uidet ulla tuæ.  
**Crudelis,** Surget & aduersos uelut efferus ibit in hostes,  
 Hostica uel solis conteret arma minis.  
**Securus,** Nam sibi persuasit penitus se tempore nullo,  
 Vllis oppressum posse perire nulis.  
 Nec, quamuis grauibus, periturum cladibus ullis.  
 Sed fore se saluum semper & incolumem.  
**Impia dogmata ferens.** Execrabilibus loquitur plena omnia uerbis,  
 Fraudibus innumeris perfida lingua tumet.  
**Sanguinarius.** Collocat insidias per compita secta uiarum.  
 Quosq; potest miseros excipit atq; necat.  
**Insidiator crudelis.** Auxilio cassos oculis obseruat acutis,  
 Et quacunq; potest parte nocere, nocet.  
 Occultis qui prætereunt obseruat ab antris,  
 Vt leo cui rabiem suasit acerba fames.  
 Excipit incautos specie bonitatis, ut autem  
 Ceperit, in laqueos & loca mortis agit.  
 Opprimat insontes uiolenter, & omnia solis  
 Viribus, & nulla relligione gerit.  
**Iterum obiicit securitatem.** Hæc faciens nescire Deum putat omnia, secum.  
 Namq; ait: auersas non uidet ista Deus.  
**Precatio.** Surge iuuua pater, afflictos age respice, latam  
 Esse tuam miseris sentiat hostis opem.  
**Ratio precatiois sumpta a scandalo quod inde oritur, si De.** Cur Domino reprobis conuitia uana loquatur?  
 Esse tibi curæ nec sua facta putet?

Nempe



Nempe uides, dolor, & curæ, sæuiq; labores,  
 Atq; alia in manibus sunt sita cuncta tuis.  
 Soli namq; tibi miserorum turba relicta est,  
 Ex ope consistunt orbis & orba tua.  
 Brachia uituperatoris confringe maligna,\*  
 Viribus creptis totus incermis erit.  
 In scelera immanis patrata inquire tyranni,  
 Iam facies horum non erit ulla super.  
 Rex fuit, est, et erit Dominus Rex omne per æuum,\*  
 Ipsius è regno gens inimica cadet.  
 Supplicia exaudis miserorum uota rogantum,  
 His etenim patulis auribus esse soles.  
 Ipsorum rege corda, tuis ut legibus apti,  
 Inueniant placidum quem uoluere patrem.  
 Ut duce te possint miseri subsistere, & ultra  
 Impius in terra desinat esse minax.

us suos non in-  
 uet. Fuit enim  
 impij magis se-  
 curi et blasphe-  
 mant Deū. At-  
 que hic iterum  
 obserua, quo-  
 modo in orati-  
 one eo præci-  
 pue spectandū  
 est, non ut libe-  
 remur solum,  
 sed ut Deus in  
 nostra liberati-  
 one glorifice-  
 tur, & homi-  
 nes edificetur.

\*  
 Repetit iprec-  
 tionem.

\*  
 Promissiones.

## PSALMVS XI.

In Domino confido quomodo.

## ARGVMENTVM.

Est obiurgatio impiorum doctorum, qui  
 a uera doctrina uerbi Dei ad humana som-  
 nia, a fiducia misericordiæ Dei ad humana  
 præsidia uocant: His minatur exitium, pijs  
 autem promittit liberationem. Primi uersus  
 alij hanc sententiam esse putant: Transmigra  
 in montem sicut passer: q. d. Volunt me auo-  
 care a monte Hierusalem, in quo Dominus,  
 ad suos montes & carnalia præsidia.



Doctrinas hominum, mandataq; praua docentes  
 Conqueritur ueram posthabuisse fidem.  
 Qui cum sunt nimio stolidissima pectora fastu,  
 Contemnunt alios & sua sola probant.

Vincenti Psalmus Dauid.

Obiurgatio im-  
 piorum, Ego  
 in Deum confi-  
 do, nolite mihi  
 alia praesidia  
 obtrudere.

Accusat studia  
 aduersarioꝝ.

Hoc magis ad  
 doctrinam refe-  
 rendum erat,  
 fundamēta cō-  
 uelluntur, hoc  
 est, simpliciter  
 damnant uer-  
 bum, & dicunt  
 quid facit iu-  
 stus? Id est, ni-  
 hil moramur  
 cum, &c.

Respice ad tē-  
 pestatem qua  
 Pharao periit.

**O**mnis in omnipotente Deo fiducia nostra est,  
 Ille meas uerè spes facit esse ratas.  
 Nunc igitur qua fronte meas audetis ad aures  
 Dicere? montanos, i, pete, quære specus.  
 I latebras pete, inassuetis abscondere lustris,  
 Ut loca quæ fugiens deuia quærit auis.  
 Tela manu quatiunt, celeres rapuere sagittas,  
 Spiculaq; in neruos imposuere mali.  
 His nihil intendunt aliud nisi figere iustos,  
 Per loca quæ, cum sint abdita, luce carent.  
 Nusquam stare datur, nusquam consistere fas est,  
 Iustus ad hæc faciet quid precor ista uidens?  
 At Deus interea templa incolit aurea cœli,  
 Ipsius ista thronum regia diues habet.  
 Intentos habet ille oculos, uidet omnia, & idem  
 Prospiciens hominum iudicat omne genus.  
 Ille hominum trutina uitas examinat æqua:  
 Approbat ille bonos, improbat ille malos.  
 Odit iniqua uirum scelerataq; facta probantem,  
 Offendi uitio nec grauiore potest.  
 Immittet laqueos quibus impius impediatur,  
 Illi pro pluuia sulphur & ignis erunt.  
 Incutiet uentos, & agentia fulmina flammæ,  
 Ut tempestatum turbidus aër erit.

Hoc



Hoc ipsis uelut implebit sua pocula uino,  
 Ipsorum hæc meritis præmia iusta dabit.  
 Iusticiæ Deus autor, amat qui iusta probantes,  
 Dedita iusticiæ pectora semper habent.

PSALMVS XII.

Domine saluum me fac &c.

ARGUMENTVM.

Hic Psalmus proprie est precatio pro Ec-  
 clesia & uero Dei cultu, qui in uerbo Dei est  
 positus, ut Deus uerbū Ecclesiæ conseruet,  
 & impios doctores perdat, secundum sen-  
 tentiam: Orate Dominum mensis, ut mittat  
 operarios. Et est elegans Psalmus.

Sunt quibus humanos placeant inuenta per usus,  
 Atq; ea diuinis anteferenda putent.  
 Quos, qui prætextu turbant sacra dogmata falso,  
 Vitandos tanquam toxica uera monet.

Vincenti in octochordo Psalmus David.

**H**uic ades hic succurre tuis mitissime diuū,  
 Namq; est sanctorum turba pusilla super.  
 Defecere boni ueræ & pietatis amantes,  
 Non est in cunctis Gentibus ulla fides.  
 Friuola concinnant linguis & uana loquuntur,  
 Turba malis socios fallere docta dolis.  
 Blanda susurrantis texunt mendacia linguæ,  
 Et quæ uox loquitur, pectora falsa negant.  
 Perdat adulantes linguas Deus, arceat omnes  
 Perpetuo assuetos nil nisi magna loqui.

B 5

Qui

Ἐπιφώνημα  
 consolatoriū,  
 quod Deus ius-  
 tos, quantum-  
 uis in mundo  
 contentos nō  
 negligat.

Propositio  
 precationis, ut  
 Deus respiciat  
 Ecclesiam, at-  
 textit autem  
 causas, quod  
 impietas quo-  
 tidie crescat  
 tum in doctri-  
 na, tum in uita.

Votum.



Qui sibi persuadent nil se non posse loquendo,  
 Nec metuunt secum talia uerba loqui:  
 Lingua potens est nostra satis, nos magna loquemur,  
 Quis Dominus nobis quem uereanur erit?  
 Sed quoniam miseri pereunt & ab hoste premuntur,  
 Quorum aures, gemitus, uenit ad usq; meas:  
 Tempus ut exurgam nunc est, Deus inquit, ut ipsis  
 Non dubia possim ferre salutis opem.  
 Nempe feram, laqueoq; pios quo uincit hostis,  
 Eripiam, tuti uiuere ut inde queant.  
 Omnia quæ loquitur Dominus purissima uerba,  
 Et sunt argento candidiora nouo.  
 Argento, flammis cui quicquid adhæsit ademptū est,  
 Quod focus ipse probum terq; quaterq; docet.  
 At tu conseruare tuos dignabere, diuim  
 Maxime, tu custos optimus esse potes.  
 Eripe perpetuo nos hac ab stirpe malorum,  
 Sed placidus tantum cum feritate nihil,  
 Vndiq; concurrunt & crescit turba malorum,  
 Dum probrosi hominum sceptrasuperba tenent.

Promissio Ec-  
 clesie quod ue-  
 lit Deus con-  
 seruare uerbū  
 suum.

Encomium uer-  
 bi Dei cum in-  
 signi precatio-  
 ne.

Sic uocat impi-  
 os doctores. Si-  
 milit sententia  
 in Prouerbijs:  
 Cum cessabit  
 propheta dis-  
 sipabitur po-  
 pulus.

## P S A L M V S XIII.

Vsq; quo Domine obliuisceris.

## A R G V M E N T V M.

Est elegantissimus Psalmus, qui continet  
 uehementem & affectibus plenam precatio-  
 nem contra spiritum tristitiæ, & animi mor-  
 rorem, qui aut peccatum aut pœnam pecca-  
 ti sequi solet, De hac tentatione sapiens: Spi-  
 ritus tristis exiccat ossa.

Quam



Quamlibet afflictus, quantumuis pressus iniquis  
 Cladibus, his lacrimis utere, saluus eris.  
 Scandala si qua tibi sator excitet ille malorum,  
 Fide Deo, spera, nec mouere statu.

Vincenti Psalmus David.

**Q**uam nostri diuturna tuos obliuia sensus  
 Auertent? quo me tempore respicies?  
 Quando erit ut uideam, & uultus ferar ante beatos,  
 In quibus est miseris spesq; salusq; tuis?  
 Quam pater ista diu transuersum cura retrorsum  
 Auferet, & requiem non sinet esse mihi?  
 Anxius hanc animam siquidem dolor urget, & hostis  
 Consilijs aliquem non finit esse locum,  
 Quando erit hostiles ut auara superbia fastus  
 Ponat, & in miserum desinat esse minax?  
 Respice me miserum, qui me, qui cuncta creasti,  
 Exaudi placida, quas loquor aure preces.  
 Ne mea in æternam claudantur lumina noctem,  
 Da uigiles oculos pectoris esse mei.  
 Da sublimem animum, da lætæ frontis honorem,  
 In me ne cristas erigat hostis atrox.  
 Gloria ne mendax, ne uana superbia iactet  
 Viribus hic sese præualuisse suis.  
 Nèue sibi applaudant qui nos odere maligni,  
 Si uia sit nostri lubrica facta pedis.  
 Spes uero in pietate tua mihi certa manebit,  
 Et mea læta tuæ corda salutis erunt.  
 Perpetuis Domini laudes celebrabo Camænis,  
 Qui modò collapsum me mihi restituit.

Psalmus

Propositio pro-  
 cationis quam  
 affectu auget.

Interrogatio-  
 nes istæ argu-  
 unt dolorē ani-  
 mi uehementē.

Recrea me.  
 Hoc enim signi-  
 ficat illumina-  
 re oculos.

Ratio: hic ite-  
 rum refert sui  
 liberationē ad  
 gloriam Dei,  
 & ædificatio-  
 nem aliorum.

Insignis confo-  
 latio: Ego in  
 misericordia  
 tua spero.  
 Gratia: actio-  
 ne claudit.



Dixit insipiens in corde suo.

ARGVMENTVM.

Est Prophetia de impietate Iudeorum sub  
tempus aduentus Christi: Quare in fine op-  
rat. Christum mitti, qui tantam impietatem  
per doctrinam Euangelij corrigat ac mutet,  
Paulus uniuersaliter eum citat, quod tota  
natura, sine Spiritu sancto, sit peccato cor-  
rupta.

Verius haud potuit praesaga mente Propbetes  
Dicere, quae fieri tempora nostra uident.  
Ista legant, & se uideant, qui numina tantum  
Multiuori uentris luxuriosa colunt.

Vincenti Psalmus Dauid.

Narratio est,  
in qua pingit  
peccatum ori-  
ginis, & alte in-  
fixam animis  
hominum impi-  
etatem, quod  
uacant corda  
timore Dei, fi-  
de, dilectione  
&c.

**S**Tultus ab humano qui iudicat omnia sensu,  
Quiq; ea dispenset non putat esse Deum.  
Sunt tamen usq; adeo stupefacto pectore caeci,  
Credere qui possint tam furiale nefas.  
Nam male consulto sic cogitat impius ausu,  
Non est quem metuas, ne sciat ista, Deus.  
Execrabilibus perierunt cladibus omnes,  
Prodiga quos miseri uita laboris habet.  
Omnipotens humiles prospexit ab aethere terras,  
Humanumq; sua uidit ab arce genus:  
Ex tot an inueniat sapientem millibus ullum,  
Qui curet superos, & putet esse Deum.

At



At retro stolidis abierunt passibus omnes,  
 Pestis enim miseris omnibus una fuit.  
 Non fuit ex illis quem posses dicere iustum,  
 Qui bene uixisset non fuit unus homo.  
 Num sapient aliquando mali qui sanguine uiuunt,  
 Et populi comedunt corpus & ossa mei?  
 Quos miserorum hominum duri pauere labores,  
 Ut satura ingluuies nesciat ista famem.  
 Dummodo quod rodant uentri non desit alendo,  
 Turba creatorem negligit ista suum.  
 Hic ubi non opus est trepidant, ubi nulla necesse est  
 Esse pericla animæ, certa pericla timent.  
 In quibus haud opus est, Domino seruire laborant,  
 Vera loco cultus nil facientis habent.  
 Sed fauet & iustis Deus est tutela salusq;  
 Nec negat auxilium quod pia turba rogat.  
 Ostulti & miseri qui despexistis egenum,  
 Quod soli fidat subiaceatq; Deo.  
 Quis genus Israël saluum dabit, atq; reducet  
 Dispersos populos ad tua templa Sion?  
 Cum Deus exilium conuerterit ipse suorum,  
 Læticia fient omnia plena noua.  
 Tunc genus Israël gaudebit, & ocia ducent,  
 Qui de stirpe tuæ sunt Iacobe domus.

Hic præcipue,  
 notat princi-  
 pes & docto-  
 res synagogæ.

Deum non ti-  
 ment, omnia ac-  
 tia timent.

Reliquiæ po-  
 puli saluantur.

Hic optantis  
 est affectus u-  
 tinam ueniat  
 Christus.

## PSALMVS XV.

Domine quis habitabit in &amp;c.

## ARGUMENTVM.

Hic psalmus continet doctrinam Legis,  
&



& habet amplissima præconia bonorū operum, siquidem ostendit ea non solum requiri a Deo, sed etiam Deum ea remuneraturū in fidelibus. Nota autē Primo loco poni ueritatem, hoc est, studium uerbi Dei, quod facit integros homines, timentes Deū & confidentes in eius misericordia per Christum.

Totius hęc picta est solida pietatis imago,  
Quæ nos ad superos uita leuare queat.

Puro corde Deum cole, dilige, consule fratri,

Hęc fides summa est, hęc pietatis apex.

Psalms David.

**Q**uis tua templa Deus, tua quis tentoria dignus  
Incolet, & montis stabit in arce tui?

Narratio est.

Integer & uitæ maculis non oblitus ullis,

Non nisi iusta operans, nec nisi uera loquens.

Qui non alterius famam detrectat honoris,

Nec mala de socio cogitat ulla suo.

Opprobrium qui uicino non ingerit, & qui

Negligit assuetos improba facta sequi.

Qui colit obsequio Domini præcepta colentes,

Qui quod iurârit fallere nolit opus.

Qui super usura sortem non auxit iniqua,

Qui super infontem munera nulla capit.

Quisquis ad hęc animum facienda induxerit, ille

Purus & æterno tempore saluus erit.

PSALMVS XVI.

Conserua me Domine quoniam.

Argu.



## ARGUMENTUM.

Est insignis prophetia de Christo Rege & eius regno seu Ecclesia: Item de abiectio-  
ne Synagogæ, & tota Legis abrogatione,  
magnifica testimonia Actorum II. VIII. XIII.  
ex eo allegant Apostoli. Est autem mistus  
Psalmus: Nam orationem & gratiarum ac-  
tionem habet. Oratio est Christi humiliati,  
gratiarum actio Christi glorificati & trium-  
phantis contra mortem & Sathanam. Ideo  
etiam titulum habet aurei ornamenti.

*Morte triumphata rediturum in corpora Christum,  
Si rectè inspicias, hæc tibi uerba canunt:  
Cultum legis tollendum Moseos omnem,  
Sacra, cibus, mores, sabbata, festa, status.*

Aureum ornamentum Dauid.

**C**um mihi sit reliquæ misero spes nulla salutis  
Te sine, qui rerum maxima sceptrum tenes:  
Custodi tibi confisum, tua sola uocantem  
Numina, seruatum me pater esse iube.  
Nam mihi persuasi, Domino sic dicere ut ipsi  
Auderem, Dominus tu mihi solus eris.  
Te propter duros potui tolerare labores,  
Nam sine te requies non uenit ulla mihi.  
Præcipui mea cura, & maxima gaudia sancti  
Qui terras, & adhuc corpora uiua colunt.

Multa

Christus humi-  
lis in forma ser-  
ui.

Precatio, iuuat  
me Deus: ha-  
bet autem ad-  
ditam rationem  
In te enim solo  
spes est auxiliij  
contrahæc ma-  
la.

Ecclesia ppter  
quam Christus  
humiliatus est.



*Multa alij statuunt falsorum nomina diuulm,  
illorum statuas quas uerentur habent.*

**Abrogatio Legis & omnium cultuum legis. q. d. Querunt Deum suis sacrificijs placare, sed ego altud sacrificium exhibeo, quod quia repudiāt, repudientur a me quoq̃. Gratiarum actio.**

*Quorum ego quæ fusi libamina sanguinis edunt,  
Non sequar, aut laruis accipienda seram.*

*Præterea ipsorum nunquam mea lingua loquetur  
Nomina, Lethæos digna subire lacus.*

*Tu mihi diuitiæ Deus es, tu larga bonorum  
Copia, tu fluxas ante refundis opes.*

*Quam mea sors felix cecidit bene, quam mihi cornu  
Copia, ceu patrias diuite fudit opes.*

*Perpetuo Dominum laudabo & carmina dicam,  
Qui mihi & auxilium consiliumq̃; dedit.*

*Insuper insomnes cogebam ducere noctes,  
In quibus affectus me erudiere mei.*

**Fides qua tentationes seu afflictio uincitur.**

*Non secus ac uideam Dominum, sic semper eundem  
Cogitat hic animi candidus huius amor.*

*Hunc mihi non adimunt noctes, non tempora lucis;  
Nam prope adest, partes asserit ipse meas.*

*Ille mihi à dextra prope adest ne forte laborem,  
Hoc duce uis poterit nulla nocere mihi.*

**Victoria mortis & læta resurrectio Christi.**

*Ergo læticia persusus, gaudia sensi,  
Quanta uoluptatum pectora plena solent.*

*Exiluit uelut aucta meæ noua gloria linguæ,  
Et caro non dubia spe solidata mea est.*

**\* Nec dabis sanctum tuum uidere corruptionē, hæc uideatur esse prophetia, quod tertio die Christus resurrecturus fuerit sicut in actis dicitur**

*Nam nec apud Stygias, Plutonia regna, paludes,  
Vlla animæ statues dura ferenda meæ.*

*\* Nec sancti fœdanda tui dabis ossa sepulcro,  
Quod carni ex aliqua parte nocere queat.*

*Ad uitam quod ducit iter monstrabis, & omni  
Læticia facies me tua iussa sequi.*

*Lætia*



*Lætitia stant ante tuos & gaudia uultus  
Perpetuo, & dextræ gloria iuncta tuæ.*

PSALMVS XVII.

**Exaudi Deus iusticiam meam.**

ARGUMENTVM.

Est simile argumentum cum Psalmo duo decimo : orat enim contra Pseudoprophetas & Hæreticos, ac petit, ut Deus eum conseruet in sana doctrina. Significat autem se propter uerbum fuisse in odio, & accusatum tanquam Hæreticum, sicut hodie quoque uidemus ueram Ecclesiam sustinere crimen hæreseos &c.

*Ignauis monachi, pepones & inertia terræ  
Pondera, degeneri dedita turba gula :  
His digni precibus quibus exagitentur in horas,  
Quos effusa Dei iudicis ira premat.*

Oratio Davidis.

**H**As precor ô placida tam iustas aure querelas,  
Cuncta pater stetus percipe uerba mei.  
Explorare uelis attendente mente quid orem,  
Non falso ex animo nostra querela uenit.  
Iudice te stet iusta meæ sententia caussa,  
Et, quo cuncta soles lumine, recta uide.  
Omnia nota mei tibi sunt sensa intima cordis,  
Qui ne nocte quidem te sine solus eram.  
Conflato argentum me sicut in igne probasti,  
Scoria nec mendax ulla reperta tibi est.

Precatio, cui addit circumstantias, quod serio oret, & bene sibi conscius, hæc exordij loco prefatur, donec ueniat ad principale negociū.

C

Quæ



Quæ loquar illa eadem sententia firma sequetur,  
 Non erit à sensu dissona lingua meo.  
 Omnia sectabar quæcunq; es uerba locutus,  
 His mea nuniui sensa, cor, ora, fidem.  
 Ne quid in humanis operum caligine nugis  
 Laberer, ausurus facta nefanda sequi,  
 Insidiatorum peragraui lustra latronum,  
 Tutus ab insidijs per tua uerba fui.

Principalis p  
 positio preca-  
 tionis, ut ser-  
 uet eum con-  
 tra impiam do-  
 ctrinam.

Suauis figura  
 quod Deus Ec-  
 clesiam curet,  
 sicut pupillam  
 oculi.

†

Narratio, qua  
 exponit peri-  
 culū, quod est  
 a Pseudopro-  
 phetis, & im-  
 pia doctrina, p-  
 rinet autem ad  
 rationem pro-  
 positionis.  
 Consilia Eccle-  
 siæ malignan-  
 tium.

Firma quæso meos tua per uestigia gressus,  
 Nec cadat in media lubrica planta uia.  
 Auxilium ut ferres querula te uoce rogabam,  
 Audi quas timido fundimus ore preces.  
 Eia age mirentur populi, fac sentiat orbis,  
 Quæ uenia foueas, qua pietate tuos.  
 Saluator tibi fidentum, sciat impius isthæc,  
 Spicula cui dextræ sunt odiosa tuæ.  
 Tam tua me uigili custodia lumine seruet,  
 Quam seruari oculi pupula cara solet.  
 Non secus ac suauis requiescam tutus in umbra,  
 Si tua magna meum contegat ala caput.  
 Protege me, uelutiq; tuis defende sub alis,  
 Impia dum miserum perdere turba studet.  
 Insidiantur enim nec cessant, quærere, qua nam  
 Hanc animam perdant conditione, mali.  
 † Quandoquidem magnis inter se conuenit istis  
 Hoc opus, hinc audent multa superba loqui.  
 Quo me cunq; pedes, quo me uia ducit, id unum  
 Curant ut possim qualibet arte capi.  
 Omnia prospiciunt circum, qua fraude dolisq;  
 Prostratum terræ me sine fine premant.

Impius



Impius assimilis raptori est ipse Leoni,  
 Cui se uam stimulat præda petita famem.  
 Non secus ac catulus rapidi genus acre Leonis,  
 Qui pavidus captans infidet antra feras.  
 Surge fer auxilium, uires prosterne superbi,  
 Victoricem dextram sentiat esse tibi.  
 Eripe me uitamq; meam de fauce maligni,  
 Victorem gladium sentiat esse tibi.  
 Assere me dira manuum de gente tuarum,  
 De genere hoc quod adhuc uita superstes habet.  
 Qui sua uiuentes capiunt iam præmia, quorum  
 Implesti uentres de ditione tua.  
 Quos proles numerosa beat, qui deinde relinquunt  
 Reliquias pueris diuitiasq; suis.  
 Verum ego iusticia mentem comitante quietam,  
 Accipiam uultus gaudia plena tui.  
 Cumq; apparuerit species tua uera, quietus,  
 Et satur & tota mente beatus ero.

## PSALMVS XVIII

Diligam te Domine fortitudo.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarũ actio, quod per Deum in uarijs periculis, quæ inimici, hostes, seditiosi concitarant, sic seruatus. Ponitur hic Psal. & Reg. XXII. Haber autem fere perpetuam periculorum narrationem, nisi quod aspergit affectus orationis, & gratiarum actionis.

C 2

C 17

\*  
 Repetit propositiõnem, utriusque enim petit ut & ipse in sana doctrina feruetur, & impij doctores pereant.

Vocat gentem manuũ Domini contra quos Dominus manum extendit ad eos arripendos & puniendos. Illustris antithesis. Isti nihil querunt, q̃ bona præsentis uitæ. Mihi aut̃ maius est quod me ornas hic tua iusticia, & exuscitas inno uam & æternã uitam post mortem.



*Carmen ab Isaida scriptum Dauide quod olim  
Cinctus ab hostili milite quando fuit.  
Cumq; manu Saulis premeretur, & esset ab illo  
Iam liber, Domino sic modulatus, ait.*

*Vincenti serui Domini Dauid, qui locutus Domino  
uerba cantici huius, in die quo liberavit eum Do-  
minus de manu cunctorum inimicorum  
eius, & de manu Saul.*

*Propositiogra-  
tiarū actionis:  
Laudabo Do-  
minum qui me  
sæpe mirabili-  
ter liberauit.*

*\*  
Insignis senten-  
tia. In tribula-  
tionemea inuo-  
caui Dominū,  
et exaudiuit de  
templo sancto  
suo uocem me-  
am.*

**P**rosequar, & merito, te semper amore fideli,  
Mi Deus ô profugæ portus & aurarati,  
Languida qui ualidis mea pectora uiribus auges,  
Qui mihi speratæ petra salutis eras.  
Saluus in aduersis quo defendente manebam,  
Quo duce securus sicut in arce fui.  
Mi Deus auxiliumq; meum cui fidere certum est,  
Contra hostes clypeum præsidiale meos.  
Quo mea nixa salus ceu cornu fortiter hæret,  
Amplius hostiles nec timet insidias.  
Laudibus assiduis Dominum uenerabor, & hostis  
Qui noceat tanto undice nullus erit.  
Nam fera me rapidæ tenuerunt uincula mortis,  
Et grauis infernæ terruit unda Stygis.  
Ditis & umbrarum circum me umcla ligârunt,  
Mors miserum laqueis uncyt atra suis.  
\* Obrutus ærumnis, oppressus mole laborum,  
Assidua Domini uoce precabar opem.  
Assiduo clamor: Deum precor, ille querelas  
Audit, & incassum non sinit ire, meas.

*Audit*



Audit ab excelsis stellantis lumine templi,  
 Inde meas prona suscipit aure preces.  
 Intima concussæ tremuerunt viscera terræ,  
 Commotis montes insonuere cauis.  
 Ipsi à uultu tremuere, & ab ipsius ira\*  
 Omnia quæ tellus subtus & intus habet.  
 Fumidus ipsius de naribus exijt aër,\*  
 Omnia consumens ignis ab ore Dei.  
 Carbores flamma succendebantur ab ipsa,\*  
 Tam furor hic atrox, tam grauis ira fuit.  
 Demisso ille humiles descendit ab æthere terras,\*  
 Sub pede diuino nubilus aër erat.  
 Præpetis ascendit plumantia terga uolucris,\*  
 Remigio alarum per sua regna uolans.  
 Obsepsit tenebris sua castra, & nubibus atris  
 Cinxit quas pluuio condidit imbre graues.  
 Ipsi ad uultus splendorem cærulea nubes\*  
 Transijt & subito tempore nulla fuit.  
 Transijt & densis fulsit sine nubibus aër,  
 Transijt & mista graudine flamma uorax.  
 Desuper intonuit, totumq; exterruit orbem  
 Fulminibus, mista grandine flamma uorax.  
 Contorsit dextra sua tela, & plurima sparsit,  
 Fulgure uiuentum terruit omne genus.  
 Præcipites toto ceciderunt æthere nymbi,\*  
 Terra debiscentes uidit aperta sinus.  
 Nam timuere tuum te corripiente furorem,  
 Iste tui terror spiritus oris erat.  
 Misit ab excelsi retrahens me uertice cæli,  
 Et dextra è magnis eripiebat aquis.

C 3

Hosti

Hypotyposis  
 magnæ & hor-  
 ribilis tempe-  
 statis, cui com-  
 parat pericula  
 q̄ a rege Saulo  
 sibi impende-  
 bant: uideēt au-  
 tē alludere ad  
 tempestatē in  
 mōte Sina quā  
 omnes Prophe-  
 tæ uarie cele-  
 brant.

\*  
Tonitru de-  
scriptio.

\*  
Fulguris de-  
scriptio.

\*  
Fulmen.

\*  
Descriptio nu-  
bium caliginō-  
farum.

\*  
Cælum tene-  
bricosum.

\*  
Iam sine figura  
dicit, quæ an-  
tea figurate dē-  
xerat.

\*  
Imbres,



Hic exponit tē  
pestatem, furo  
rē, odiū, & po  
tentia Saulis.

\*  
Non per fediti  
onē insidiatus  
sum regno Sau  
lis, sicut suspi  
cabat, sed diui  
nitus ad regnū  
uocatus sum.

\*  
In præsentia est  
cōmodior sen  
tentia, q. d. ga  
scis me innocē  
tem, ideo libe  
rasti me. Hanc  
sententiā com  
pbat bella ra  
tione, qua Deū  
descripsit. Cū  
sancto sanctus  
eris. Deus fan  
ctus et iustus ē  
ideo innocētes  
liberat. Malos  
autem male af  
fligit, fidentib.  
in ipm est mise  
ricors, non fi  
dentib, est gra  
uis uindex etc.

\*  
Hic aliud peri  
culū uidetur si  
gnificare, qd a  
uicinis gentib.  
fuit ab Amale  
chitis & alijs.  
\* Insigne ē ω  
φώνημα

PSALTERIUM.

Hoslibus eripuit ui præpollentibus omni,  
Et qui me forti plus potuere manu.

Qui me suppressere meis in rebus iniquis,  
Perfugium Dominus se dedit ipse mihi.

In loca me duxit spaciōsa, & ab hoste receptum  
Eripuit, nec enim non fauet ipse mihi.

\* Ille uices operum reddet, quæ iusta peregi  
Reddet, ut hæc non est sanguinolenta manus.

Præceptis etenim Domini constanter in hærens,  
Impius ante Deum qui precor esse queam?

Ipsius obseruabam animo præscripta fidei,  
Certus ubiq; ab eo tradita iussa sequi.

Simplicis ipsi adero uitæ candore, nec unquam,  
Sponte, quod offendat, commeminisse uelim.

\* Atq; ideo si iustus ero, mihi iusta rependet  
Præmia, si puras uiderit esse manus.

Sanctus es ad sanctum, iustus reputabere iusto,  
Cumq; nocente nihil, non es & ipse nocens.

Qui sunt mundicia insignes, his mundus & ipse es,  
Verum qui malus est, huic es & ipse malus.

Tu saluas humiles, miseris solatia præstas,  
Ne sibi confidant corda superba domas.

Tu uiuo nostram succendes igne lucernam,  
Vertisti in lucem noctis opaca meæ.

\* Te duce in hostiles turmas sine clade ruemus,  
Vincemus ualida quælibet arma manu.

Te duce pinnatos muros capiemus, & urbes,  
Fossarum obiectas transilemus aquas.

\* Omnibus in factis Deus integer, omnia uerbo  
Quæ facit, emuncto sicut ab igne, facit.

ipse



Ipse uelut clypeo tutatur ab hostibus omnes,  
 Quos fidei certos nouerit esse sua.  
 Nam quis adhuc alius Deus est? quis fortior illo?  
 Si Deus est, ut & est, quis nisi noster erit?  
 Ipse est ille Deus, qui me uirtutibus auctum  
 Roborat, & dubias non sinit ire uias.  
 Ipse docet leuibus cursu contendere ceruis,  
 Ipse meos statuit per iuga summa pedes.  
 Erudit ille meam quaecumq; in praelia dextram,  
 Ille docet certa mittere tela manu.  
 Per te certa tuae possedimus arma salutis,  
 Quod uiros habeo, dextera caussa tua est.  
 Et quoties aliquo casu me affligis acerbo,  
 Ex imo toties rursus ad alta leuas.  
 Omnia quae graderer strauisti plana uiarum,  
 Semita ne nostros lubricet uda pedes.  
 Persequar, & duce te fugientes assequar hostes,  
 Nec referat donec funditus interimam.  
 Verberibus caedam duris, nec inde resurgent,  
 Concidet ante meos turba profana pedes.  
 Tu dabis optatas obeunda in praelia uires,  
 Tu dabis hostiles uincere posse minas.  
 Tu facis ut fugiant, ut sic extinguere possim,  
 Qui sine caussa odio desipere mei.  
 Vociferabuntur, nec erit qui saluet, ad ipsum  
 Clamabunt toto pectore, surdus erit.  
 Pulueris in morem, quem dissipat aura, peribunt,  
 Turba erit abiecto uilior ista luto.  
 \*Eripe me populo qui nil nisi iurgia quaerit,  
 Ut caput euictis gentibus esse queam.

C 4

Igno

Bona sententia  
 Deus affligit,  
 sed non deserit.

\*  
 Pericula sedi-  
 tionum in suo  
 populo comemo-  
 rat, ex qui-  
 bus sit libera-  
 tus, uideretur au-  
 tem respicere  
 ad aliam maio-  
 rem et spiritu-  
 alem defectio-  
 nem in populo  
 futuram tem-  
 pore Euange-  
 lij. Ideo uocat  
 alienigenam tur-  
 bam, quod quan-  
 quam sint filij  
 Abraham secundum  
 carnem in  
 fide Abraham  
 non persistent.



Ignotus quondam populus mihi seruiet olim,  
 Ignotus populus seruiet iste mihi.  
 Auribus accipient placidis & iussa capeissent,  
 Verum erit & mendax aduena turba mihi.  
 Consenuere alienigenæ turba aduena, nati,  
 Claudicat in umclis aduena turba suis.  
 At uiuit Dominus nostræ dator ille salutis,  
 Cui sit in æternos gloria summa dies.  
 Qui mihi uindictam uictos largitur in hostes,  
 Et populos coget subdere colla mihi.  
 Hostibus ereptum qui me in sublimia ponit,  
 Nunc quoq; ab insidis eruet ille uirg.  
 Ergo tuas laudes tua nomina Gentibus edam,  
 Virtutes dicent sæcula cuncta tuas.  
 Qui tam dona tuo confers felicia Regi,  
 Regiaq; insigni sceptrâ salute beas.  
 Qui sic magnifico Christum Dauida decoras  
 Nomine, quæq; illi post huma proles erit.

## PSALMVS XIX.

Cœli enarrant gloriam Dei.

## ARGUMENTVM.

Est insignis Psalmus, qui primo lætissimam prophetiam habet de Euangelio in totum mundum spargendo per Apostolos: de inde illustre encomium Euangelij subiicit: In fine est oratio addita, qua petit primum ueniam sicubi a uerbo declinauit, Deinde petit gubernationem, ut in uerbo ad finem usq; seruetur.

Vox

†  
 Paulus ad Romanos citat de Euangelio inter Gentes annunciat.

Epilogus gratiarum actionis. Christum adiecit uocat unicum, nam Reges ungebantur.



Vox Euangelij tam late exhibet in omnes,  
 Quam late terras maximus orbis habet.  
 Hæc tuba non unquam, non usquam tanta silebit,  
 Quam notat hic certis Psalteria Musa notis.

Vincenti Psalmus Dauid.

**Q**uam sit et admiranda Dei quamq; inclita uirtus  
 Gloria si nondum quanta sit ista uides:  
 Aspice conuexo nutantem pondere mundum,  
 Aspice stellifera nobile molis opus.  
 Ipsa tibi ingentis spaciola uolumina cæli  
 Narrabunt Domini facta stupenda sui.  
 Maxima stellantis dicet tibi fabrica mundi,  
 Talia quæ fecit quanta sit ista manus.  
 † Vsq; adeo sunt nota opera omnipotentis, ut isthæc  
 Nox non ulla roget, non roget ulla dies.  
 Tempora quin potius sibi succedentia certis  
 Facta Dei, uicibus, non peritura notent.  
 Indicat hæc roseos reuehens aurora iugales,  
 Succedens eadem nunciat orta dies.  
 Hesperus occiduas hæc monstrat iturus in undas,  
 Ut miracula etiam nox sciat ista sequens.  
 Atq; ita perpetuo uariantibus ordine rebus,  
 Ista Dei uirtus tanta latere nequit.  
 Nulla sub ingenti tam gens est barbara cælo,  
 Quo non fama aliquo uenerit ista modo.  
 Proprietas linguæ tam nullius ulla remota est,  
 Quæ non audierit talia facta loqui.  
 Tam diuina agiles monstrant miracula cæli,  
 Tam sonus ipsorum per loca nulla tacet.

C 5

Ipsos

Narratio. Sed Poeta Iudæorum sententiã secutus est. Nã qd dicit, cæli enarrant gloriam Dei, significat simpliciter quod in cælis, hoc est, passim per omnes populos. gloria Dei in Euangelio prædicet, si cur ipse Prophetas se exponit & probat Ps. xcviij. Cæli annunciant iustitiam eius, & exponit se, omnes Gentes uident gloriam eius.

†

Omnibus in locis & tempore omni Euangelion prædicatur



Hic exponit se  
quod loquatur de  
predicatione  
Apostolorum

Comparat Eu-  
angelion soli il-  
lustranti et per  
currēti omnes  
mundi partes,  
uocat autē spon-  
sum quod Chri-  
stus per uer-  
bum suum ge-  
nerat Ecclesi-  
am.

Insigne Euan-  
gelij encomi-  
um, quod uere  
doceat, conso-  
letur, erigat.

Idest: Verbum  
est certam, non  
fallit eo fiden-  
tes.

*Ipsorum terras exiuit amussis in omnes,  
Orbis in extremos edita uerba sinus.*

*Regia latiuago posuit tentoria soli,  
In quibus et radijs sidera cuncta suis.*

*Et quibus ipse uelut thalami de limine sponsus  
Exit, et in populo pectora laeta facit.*

*Nec secus exultat quam fortis et impiger heros,  
Aemula cui cursu conficienda uia est.*

*Ille quidem primo caeli consurgit ab ortu,  
Mox et in occiduas praecipitatur aquas.*

*Interea medium curru ferit igneus orbem:  
Nunc cadit et prono uertice spectat humum.*

*Et nihil ille suo non attigit igne perurens,  
Nemo est qui flammis illius effugiat.*

*Lex Domini immaculata animas refrigerat aegras,  
Indoctorum animos erudit atque polit.*

*Aequa Dei mandata animos et corda serenant,  
Illustrant oculos lucida iussa Dei.*

*Mundicie res plena Deum timuisse, nec ullo  
Tempore in aeternos interitura dies.*

*Nil nisi quod uerum est decernit, et omnia iusti  
Iudicis officio, quae facit ipse facit.*

*Omnia nobiliora auro, meliora lapillis  
Quos legit e uiridi decolor Indus aqua.*

*Nec quis obrisum preciosius aestimet, anteit  
Quascunq; immensus continet orbis opes.*

*Mellibus Hyblaeis gustu plus dulcia, uincunt,  
Quae stillante fauo nectara stipat apis.*

*Cautior euasi donec uersabar in ipsis,  
Namque ea qui seruat, praemia multa feret.*

Quis



Quis nouisse potest quoties labatur & errēt:  
 Exime, quas nequeo cernere, quæso notas.  
 Præterea rogo custodi me à Gente superba,  
 Ne mihi sit Dominus cum uolet hostis atrox.  
 Sic tibi mundus ero, sic immaculatus habebor,  
 Nec potero magni criminis esse nocens.  
 Quæ loquitur mea lingua, et adhuc quæcunq; locuta est  
 O utinam possint uerba placere tibi.  
 Sit tibi grata precor meditatio pectoris huius,  
 Mi Deus ò uitæ uita salusq; meæ.

Oratio qua pe-  
 tit ignosci, sic  
 ubi contra uer-  
 bum peccauit,  
 & gubernari  
 uerbo.

PSALMVS XX.

Exaudiat te Dominus in die.

ARGUMENTVM.

Est precatio pro salute Magistratus, ut  
 Deus eum gubernet & defendat contra om-  
 nia pericula. Habet in fine insignem antithe-  
 sin: Isti in curribus & equis, nos in nomine  
 Domini.

His precibus possunt, hac debent uoce iuari,  
 Munia qui rerum publica cunq; gerunt.  
 Rebus ut humana maioribus arte grauatis,  
 Ipsis dignetur fautor adesse Deus.

Vincenti Psalmus Dauid.

Quando erit in dubijs tibi sors contraria rebus,  
 Et metuet casus anxia uita graues,  
 Audiat omnipotens te uota precesq; ferentem,  
 Tunc te magna Dei nominis umbra tegat.

Votum est, ut  
 Dominus for-  
 tunet & tuea-  
 tur regem.

Mittat



Mittat ab excelso tibi & auxilietur Olympo,  
Eque sacra certam sede Sionis opem.

Cuncta animo repetat memori tua munera, & ipsi  
Grata Deo dextrae sint holocausta tuae.

Omnia quae cupies tibi in omnibus annuat horis,  
Consiliumque animi compleat omne tui,

Promittit gra- *Quam paries pleno memorabimus ore salutem,*  
tam animum. *Ponentis nostro fixa trophaea Deo.*

Ipsius in laudem uictoria signa feremus,  
Illa tuas faxit pondus habere preces.

Nunc adeo iubeor certo obseruasse, quod unctum  
Omnipotens nunquam deseret ipse suum.

Ipsae quidem caelo residens exaudiet ipsum,  
Tota salus ab eo, non aliunde uenit.

Anthithesis. *Confidunt in equis alij, bigisque rotarum,*  
*Haereat in nostro spes rata nostra Deo.*

Hi si quidem uicti cecidere hostilibus armis,  
At nos erecti pectora celsa sumus.

Regem uocat *Nunc ades auxilium praestans Deus, audiat & rex*  
Deum cuius or- *Cum nos sollicita uoce petemus opem.*  
dinatione re-  
ges & imperia  
conseruantur.

## PSALMVS. XXI.

Domine in uirtute tua laetabitur.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Christo & eius regno.  
Nec potest intelligi de Dauide, quia manife-  
ste dicit, uicturum esse in perpetuum, & positum  
eum ad benedictionem, ut benedicat alijs,  
sicut dicitur Gen. xiiij. Addit autem prophe-  
tiam de defectione Synagogae & interitu.

Regia



Regia laturum sed scepra perennia Christum  
 Et quibus æquari gloria nulla queat.  
 Huius & horrendis delendos uiribus hostes,  
 Regius hoc uates carmine pramonuit.

Vincenti Psalmus David.

**A** Diutius uirtute tuæ Deus optime dextræ,  
 Gaudet & ex animo rex tua facta canit.  
 Ipsius implesti uota omnia, quæq; petebat  
 Omnia te largè distribuente tulit.  
 Ipsi præueniens etenim bona cuncta dedisti,  
 Obrisi emgens æris honore caput.  
 Si roget ut plures possit superesse per annos,  
 Ipsius in numero tu facis esse dices.  
 Omnibus illa tuæ præfert decora in clyta famæ,  
 Tu facis hunc summo laudis honore coli.  
 Ipsius æternos benedicis nomen in annos,  
 Gaudebit uultus lætus amore tui.  
 Confidens etenim Domino Rex sperat in ipso,  
 Perpetuo constans in bonitate Dei.  
 Omnes dextra tuos tua perscrutabitur hostes, †  
 Incidet in tales inuida turba manus.  
 Ipsos tu statues uelut ardente igne caminum,  
 Tempore quo uultus effluet ira tui.  
 Ipse suos certe Doruni furor opprimet hostes,  
 Sic premet, ut totos deuoret ignis edax.  
 Ipsorum non esse fines nec uiuere fructus,  
 Nulla his uenturæ semina prolis erunt.  
 Intendere malum quoniam tibi, nec potuerunt  
 Perficere incepti præmeditata sui.

Narratio est.

Sententia Hebraica est, ponis eum in benedictionibus in perpetuum, id aptius intelligitur actiue, ut alij per eum benedicantur, quam passiue.

†

De Synagogæ interitu altera prophetis pars.

A iustis



*A iustis separabis eos ceu fragmina dorsi,  
Dirige in hos nerui spicula recta tui.*

Addit uotum  
ut properen-  
tur ista.

*Surge tuæ uirtute potens, & robore dextræ,  
Nos tua dicemus facta stupenda Deus.*

## PSALMVS XXII.

*Deus Deus meus respice in me.*

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Christi passione, morte, resurrectione, & regno post mortem, ac Ecclesia. Singulare autem est quod ita manifeste prædicit uulnera pedum ac manuum, ludibria Iudæorum & blasphemias uoces, sortem diuidendarum uestium etc. Titulum sic fere exponunt de Cerua, id est, Christo, passuro sub finem Legis, cum aurora Euangeliij orietur.

*Ceu coram uideat, sic explicat omnia Christi  
Passuri lacrimas, uulnera, probra, crucem.  
Quem non hæc moueant lacrimosæ uerba querelæ,  
Durius hunc saxo pectus habere putem.*

Vincenti Psalmus Dauid de Cerua auroræ.

Querela quæ  
respiciat a deo  
\* Amplificat  
querelam colla-  
tione: alij cum  
orarent, exau-  
ditisunt, tu me  
non exaudis.

**M** I Deus, o animæ spes unica & ultima nostræ,  
Omnia qui rerum iura salutis habes:  
Cur Deus abiectum me ita tempore deseris isto,  
Quo tibi præcipue respiciendus eram?  
\* Quam te non mea uerba mouent, quam stertus ab ipso  
Omnis abest, ferres ut mihi dexter opem.

Aucu



Aucupor integros lacrimis tua numina soles,  
 Auersa querulas abnuis aure preces.  
 Nocte uigil multis tacitas ululatibus auras  
 Sollicito, requies nec uenit ulla mihi.  
 Tu tamen ille Deus, Deus & sanctissimus idem es,  
 Cuius Iudæo laus in honore uiget.  
 In tua sperabant maiores numina nostri,  
 Auxilium sensit spes animosa tuum.  
 Rebus in afflictis illi te in uota uocabant,  
 Non poterat iunctos deseruisse tibi.  
 Spe certa propriam tibi commiserat salutem,  
 Nec tibi confidens est pudefacta domus.  
 Reptilis ipse autem merito, & sine nomine uermis,  
 Bruti non hominis pectus habere ferar.  
 Opprobrium triuiale hominū, quem despicit omnis,  
 Qui quota uel mediæ nomina plebis habet.  
 Qui me cunq; uident ceu pondus inutile terræ,  
 Rugas ceu naso Rhinocerotes agunt.  
 Ora, sed exertis ringuntur hiantia linguis,  
 Turba, minax ronchis, docta mouere caput.  
 Hic aliquis, Dominum iam nunc eat, inquit, ad ipsum,  
 Si modo quæ merito damna queratur habet.  
 Liberet ille suum si sic, ut iactat, amatur,  
 Dilectum ærumnis liberet ille suum.  
 Me tamen ipse meæ duxti genetricis ab aluo,  
 Te per, adhuc sugens ubera, nixus eram.  
 Editus in lucem tibi adhæsi protinus uni,  
 Tu Deus ex utero matris es ipse mihi.  
 Ne procul hinc abeas, ne longe abscesseris autem,  
 Nam prope sunt quæ me dura pericla manent.

Non

Narratio quæ  
 continet com-  
 memoratiōē  
 calamitatū, ac  
 primum com-  
 memorat blas-  
 phemas uoces

Confirmat se  
 contra illa lu-  
 dibria, scio me  
 tibi curæ esse,  
 quantumuis ul-  
 deat a te negli-  
 gi.



Non procul hinc absunt curæ sæuiq; labores,  
Sed nec adest misero qui ferat ullus opem,

Pergit narrare  
calamitates suas.

Turba uelut miserum uitulorum circuit ingens,  
Præualidi cingunt ad latus omne boues.  
Ora adaperata in me & rictus habuere patentes,  
Ut leo qui prædam corripit ore fremens.

Magnitudo af-  
fectionum.

Sicut aqua effusus, diffluxi totus, & intra  
Me mea sunt laxata omnibus ossa locis.  
Non secus ac æstu radiorum cera liquefscens,  
Diffluxit robur pectoris omne mei.  
Sic mihi quæ fuerat uirtus exaruit omnis,  
Ut proiecta nihil testa liquoris habens.  
Nescia lingua loqui sicibundis faucibus hæsit,  
Et mea mortifero puluere membra tegis.  
Circum nam uenere canes, me plurima circum  
Fœta malis, falsi prodiga, turba stetit.  
Mortifero fodere manus mihi uulnere utraq;  
Peruia sunt pedibus uulnera facta meis.

†

Narrationi  
subijcit pre-  
ca-  
tionem uehe-  
mentissimis af-  
fectionibus abun-  
dantem.

Omnia dinumerare queas in me ossa, sed ipsi  
Spectantes gaudent me mala tanta pati.  
Partiti secuerunt meos sese inter amictus,  
Et mea sortito subdita uestis erat.

†

Hic incipit p.  
phetia de Chri-  
sto glorioso. Li-  
berato a dolo-  
ribus mortis,  
& regnate per  
Euangelion in  
mundo.

Tu solitam ne differ opem, neu longius absis,  
Mi Deus afflictio, nam potes, affer opem,  
Da rogo in hanc uitam ne sæuiat hosticus ensis,  
Ne canis hanc animam deuoret ille ferox.  
Brue me rapido frendentis ab ore leonis,  
Vnica cornigeræ cornua frange feræ.  
† Vera laude meis tua nomina fratribus edam,  
Agnoscet laudes concio tota tuas.

Carmi



Carminibus celebrate Deum quicumq; timetis,  
 Qui de cunq; tua sunt Iacobe Domo.  
 Omne quod à magno genus Israël profectum est,  
 Ipsius ad dextræ facta stupenda tremat.  
 Exilium non auxilio contempsit egentis,  
 Nec retro uultus abdidit ora sui.  
 Quam potius iustis precibus se in uota uocanti,  
 Nequaquam surdis auribus esse tulit.  
 Me celebrante tuis Ecclesia magna sonabit,  
 Concio plena tuis laudibus omnis erit.  
 Vota Deo mea persoluam spectantibus ipsis,  
 Quos Domini uacuos non sinit esse timor.  
 Da quod edant humiles, epulis saturantur opimis,  
 Qui mites animos, qui pia corda gerunt.  
 Tollite laudantes quicumq; requiritis ipsum,  
 Perpetuos uiuant pectora uestra dies.  
 Omnibus hæc totum uulgetur fama per orbem,  
 Vnius ut Domini tradita iussa colant.  
 Vnius ut Domini uenerandum numen adorent,  
 Quæ Gentes terræ climata cunq; colunt.  
 Ipsius est etenim regni sine fine potestas,  
 Ipse habet in cunctis Gentibus imperium.  
 Et qui diuitijs partis utuntur, adorent  
 Ipsum, qui terræ pingua quæq; uorant.  
 Et qui fæda situ confecti corpora sordent,  
 Quiq; animæ uitam non sinit esse suæ.  
 Natio uenturo de semine seruiat ipsi,  
 Virtutes Domini sæcula cuncta scient.  
 Posteritas uentura Dei præconia laudum  
 Conemet, & populis commemoranda dabit.

D

Iusti

Nouus cultus  
 Ecclesiæ, abro-  
 garis cultibus  
 Legis.

Ecclesia ex di-  
 uinitibus & pau-  
 peribus.

Nouus cultus.



Nō nostra aut  
operum iusti-  
cia.

Iusticia ipsius in toto cantabitur orbe,  
Ipse quod hoc tantum fecerit autor opus.

## P S A L M V S XXIII.

Dominus regit me & nihil mihi.

## A R G V M E N T V M.

Est mire suavis & elegans Psalmus, in quo  
prædicat beneficia, & pro ijs gratias agit,  
quibus Deus Ecclesiā suam cumulat, quod  
eam sicut pastor ouem, uerbo pascit, conso-  
latur, gubernat ac tuetur.

Dona Dei agnoscens & sacri munera uerbi,  
Ambulat, & recta ducitur ille uia.  
Non secus hunc, ac pastor ouem, si forsā aberret,  
In sua restituit pascua uera Deus.

Psalmus Dauid.

Narratio.  
Pascit.

**N**ulla petendarum mihi deerit copia rerum,  
Pascit ut innocuas me Deus inter oues.  
Per loca me statuit uiridantibus herbida pratis,  
Ducit & ad riuos lene fluentis aquæ.

Latificat.

Collapsas animi uires mihi reddit, & ipsum  
Iustificæ ducit per loca tuta uia.

Docet & gu-  
bernat.

Ipsius ut uideam uerarum nomina laudum,  
Hoc duce tam felix hæc mihi trita uia est.  
Siue per obscuras umbris loca condita ualles,  
Semita sit pedibus conficienda meis:

Defendit in pe-  
riculis.

Non metuum, quia te duce, nulla pericla nocebunt,  
Me baculi seruat uirga timenda tui.

Diuitis



PSALTERIUM.

52

Dixit is apponit mihi splendida fercula cœnæ,  
 Ut doleat spectans talia liuor edax,  
 Balsameo caput unxisti mihi pingue liquore,  
 Vbere fudisti pocula plena mero.  
 Quin tua me clemens pietas, & cura sequentur,  
 Donec in hoc aliquis corpore sanguis erit.  
 Ipse quidem Domini sublimia templa tenebo,  
 Cuius & huic longo tempore fidus ero.

Quod autea  
 pascua dixit  
 nunc mensam  
 uocat. Insi-  
 gnis consola-  
 rio, quod hæc  
 Deus Ecclesiæ  
 & membris  
 eius perpetua  
 conseruabit.

PSALMVS XXIII.

Domini est terra & plenitudo.

ARGVMENTVM.

Est prophetia de regno Christi, seu Eccle-  
 sia per totum mundum sparsa, quam descri-  
 bit certis notis, quod habeat sanam doctri-  
 nam, cor purificatum fide, & uitæ innocen-  
 tiam. Habet autem grauem adhortationem  
 in fine, sicut secundus Psalmus.

Immortale Dei regnum fore prædicat orbi,  
 Ex Euangelicæ uocis honore tubæ.  
 Si quis ad historiam tamen hæc trahat, ille probabit,  
 Forte Iebusæa de regione cani.

Psalmus Dauid.

**I**n manibus Domini terra est, & quicquid in ipsa est,  
 Ipsius & quisquis rura colonus arat.  
 Maxima nam stabilem super æquora condidit ipsam,  
 In rapido iaciens robora prima mari.

Naratio, De-  
 us est Deus nō  
 Iudæorum tan-  
 tū, sed & Gen-  
 tium.

D 2 Hanc



Hanc super & fluuios, super ædificauit & amnes,  
Omnia qui uarijs flexibus arua secant.

Quis iuga conscendet diuini altissima montis?

Ipsius oraculo quis lota sacra colet?

Ecclesiæ de-  
scriptio.  
Verbum fide-  
rerinens: Nam  
doctrinam si-  
gnificat.

Integer & uitæ maculis non oblitus ullis,

Nec falsum spirans, nec nisi uera loquens.

Hunc Domini pietas, & gratia larga fouebit,

Saluus hic, ille Dei munere iustus erit.

Hoc genus est hominū, q̄ & æstimat, inuenit ipsam,

Qui uulius cupidi sunt Iacobe tui.

Adhortatio ad  
reges et princi-  
pes mundi, ut  
uerbo cedant,  
& id amplectā-  
tur.

Tollite claustra fōres, æterni absistite uectes,

Laudis ut introëat Rex decus omne ferens.

Rex nouus iste quis est, quem gloria tanta coronet?

Armorum Dominus, militiæ q̄; potens.

Pandite claustra fōres, regiæ date lumina portæ,

Vt laudum introëat Rex genus omne ferens.

Hæc interroga-  
tio significat  
mundum nolle  
cedere Euan-  
gelio.

Quis Rex iste, quis est cui sint ea nomina laudum?

Virtutum Dominus Rex decus illud habet.

PSALMVS XXV.

Ad te Domine leuauī animam.

ARGUMENTVM.

Est precatio in qua orat, ut Deus eum gu-  
bernet uerbo, peccata condonet, & ab om-  
nibus periculis, quæ ab hostibus Ecclesiæ im-  
pendent, liberet. Ostendit autem eleganter  
affectus orantium in uera fide, qui nunc se-  
ipsos consolantur, nunc se cohortantur, nunc  
iterum ad orationem redeunt &c.

Expe



Expetit ingenti succensum pectus amore,  
 Ex uerbo ueram discere posse fidem.  
 Ne cadat afflictum, ne debilitetur in ullis  
 Cladibus, o quantum est dogmata uera sequi.

Psalms David.

**S**vmme parens rerum magni faber unice mundi,  
 Ad te sunt animæ uota leuata meæ.  
 Spes mea ne sine confundi, ne perfidus hostis  
 Sacrilego casus rideat ore meos.  
 Nam tibi fidendum nemo confunditur unquam,  
 Impius at contra scandalon ipse sibi est.  
 Pange uias mihi quæso tuas, mihi semita constet  
 Proxima, quæ legis ducit ad acta tuæ.  
 Erudiens tua uera fides, mea corda gubernet,  
 Mi Deus, in totum spes mea facite diem.  
 Nunc animam solutæ subeat pietatis imago,  
 Quæ tua primæuo semper ab ore fuit.  
 Ne mea respicias fatuæ peccata iuuentæ:  
 Sed miserere, opus hoc sis memor esse tuum.  
 Cumq; nihil bonitate tua præstantius usquam  
 Exeret & huc semper sit tua larga manus:  
 Iustus & excellens Dominus per lubrica lapsos  
 Erigit, & recta nos docet ire uia.  
 Erudit extorres, & per rectissima ducit,  
 Quos humiles dubijs passibus ire uidet.  
 Omnibus in factis pius est pater, atq; benignus,  
 His qui sancta piæ fœdera pacis amant.  
 Per te, perq; tuum cunctis uenerabile nomen,  
 Da ueniam erratis, sunt quia magna, meis.

D 3

Ecquis

Patheticum ex  
 ordium.

Sententiæ quæ  
 se excitat.  
 Propositio pre-  
 cationis, ut gu-  
 bernet eum  
 uerbo.

Subiicit pro-  
 positioni ratio-  
 nem a præteri-  
 tis beneficijs,  
 & misericor-  
 dia Dei, qua  
 una debet nisi  
 omnis oratio.

Prædicat mise-  
 ricordiam Dei  
 ut ita se exci-  
 tet ad fortius  
 orandum.



Postq̄ prædi-  
 cavit miseri-  
 cordiam Dei,  
 addit nunc ad  
 hortationē ad  
 pietatē plenā  
 maximis pro-  
 missionibus.

\* *Ecquis erit Dominum metuat qui pectore toto?*  
*Illius electam diriget ipse uiam.*  
*Affluet huic fœcunda bonarum copia rerum.*  
*Huius posteritas orbis habebit opes.*  
 \* *Consilia his arcana Dei sunt cognita solis,*  
*Illius iratam qui timuere manum.*

\* *His agnosce dedit sua fœdera, qualia nunquam,*  
*Nec caro nec sanguis fœdera nota tenent.*  
*Mente Deum uigili obseruans non flectar ab illo,*  
*Vt de casse meos liberet ipse pedes.*  
 \* *Respice nunc me me, & miserere indigna fœrentis,*  
*Supplicis afflictis respice uota tui.*

\* *Anxietas miserum conturbat plurima pectus,*  
*Nunc age tam rebus tristibus affer opem.*  
*Respice quos patior casus durosq; labores,*  
*Atq; animi dele uulnera cuncta mei.*  
*Aspice quàm multis petar undiq; ab hostibus unus,*  
*Vtq; premant odio non faciente modum.*  
*Eripe me his inuicte malis, ne numine fœsum*  
*Vincere me pudeat non potuisse tuo.*

Significat hęc  
 orationem per  
 tinere ad Ec-  
 clesiam.

\* *Simplicis hanc animam uitæ pater optime serua,*  
*Cuius tota tua pendet ab arce salus.*  
*Gentis ut asserues Israëlitos oro*  
*Semina, & à populo cuncta pericla fuges.*

## PSALMVS XXVI.

Iudica me Domine quoniam.

## ARGUMENTVM.

Est precatio Ecclesiæ contra falsos fra-  
 tres.



tres, & Ecclesiam impiorum, damnantium  
Euangelion tanquam hæresin, & uarie ca-  
lumniantium pios. Ac habet insignem de-  
scriptionem Ecclesie piorum & impiorum,  
quid utraq; faciat.

Mundus hypocrisios tantum nunc peste laborat,

Vt sint, qui uerum, turba pusilla, uident.

Innumeros qui falsa docent testatur, & orat

Ne se corripiat debita pœna malis.

Psalmus Dauid.

**I**udicio mea uita tuo Deus unice constet

Candida si, qualis debuit esse, fuit.

Confidens Domino uitam securus agebam,

Nec stabiles lapsum destituere pedes.

Excute quæso mei pater intima uiscera cordis,

Affectus omnes qua ratione seram.

Semper enim præsens tua me clementia firmat,

Et tua me uerè uiuere uerba docent.

Haud unquam uitam cum uana loquentibus egi,

Odi cuncta uiros qui simulanter agunt.

Concilia & cætus mihi displicuere malorum,

Impia conantis nullius hospes ero.

Innocuas pietate manus ceu fonte lauabo,

Obseruans aræ cornua sancta tuæ.

Vt sitibunda tuas mea laudes audiat auris,

Vt quæcunq; facis facta stupenda canam.

Tecta tuæ ueneranda domus ego semper amaui,

In quibus est laudis gloria fixa tuæ.

Ne precor hanc animam cum peccatoribus aufer,

Nec quibus est fusi sanguinis alta sitis.

D 4

Precatio con-  
tra aduersari-  
os, opponit au-  
tem innocenti-  
am suam calum-  
nijs aduersari-  
orum.

Commēdat in  
Ecclesia fiduci-  
am misericor-  
diæ, odium fal-  
sæ doctrinæ, et  
studium uerbi.

Redit ad preca-  
tionem, & ac-  
cusat aduersa-  
rios.



*In manibus quorum scelus est & fraudis abunde,  
Quorum falsa nocens munera crimen habent.  
Ipse autem innocuæ traducam tempora uitæ,  
Eripe me uitijs, & miserere mei.*

*In Hebræo est  
Ego in integri-  
tate incedo. Id  
ad uerbum &  
doctrinam re-  
ferendum etc.*

*Semper amans recti, semper sine crimine uixi,  
In populo laudes eloquar ipse tuas.*

## P S A L M V S XXVII.

**Dominus illuminatio mea &c.**

## A R G V M E N T V M.

Est insignis psalmus, prior pars habet gra-  
tiarum actionem, pro liberatione præterita.  
Secunda pars est oratio, in qua petit ut in  
uerbo Dei seruetur, & defendatur ab insidi-  
is aduersariorum. Habet autem admixtas  
multas illustres consolationes, qualis illa est  
Pater & mater dereliquerunt me, Dominus  
autem assumpsit me &c.

*Tot plagas animi iam passus, & anxia uitæ  
Vulnera, quæ sancta pro pietate tulit:  
Hostibus insultat, mundum contemnit, & ipsi  
Corda fouet soli fidere docta Deo.*

Psalmus Dauid.

*Gratiarum actio  
in qua recitat  
præterita be-  
neicia.*

**Q**ui patrijs totum radijs illuminat orbem,  
Qui lux est mundi, lucis origo Deus.  
Ille meas tenebras in lucem uertit, & auris  
Dispulit inferna pestilitate graues.

Tota



Tota mente meæ curam gerit ille salutis,  
 Quem metuam, cuius sit grauis ira mihi?  
 Ille meæ, uirtus, decus, aura, potentia, uitæ est:  
 Ad cuius trepident pectora nostra minas?  
 Irruet hostis atrox me contra, ut corpore in isto,  
 Quicquid inest uiui sanguinis omne trahat.  
 Irruet, affliget, curis ingentibus anget,  
 Sed uelut impingens corruet ante diem.  
 Quid mihi si positis moueant fera prælia castris,  
 Nullus in hoc gelidus pectore sanguis erit.  
 Et licet innumeris legionibus arma capessant,  
 Hæc erit in tacito spes mihi clausa sinu.  
 Vnius à Domino uoti damnabor, & esse, †  
 Nil moror ipsius ut templa beata colam.  
 Ipsius ut tanquam nitida contempler in aula,  
 Donec erunt uitæ stamina firma meæ.  
 Occulit siquidem gelida me sicut in umbra, †  
 Cum premerent animam tempora dura meam.  
 Et uelut occultum sua sub tentoria ducit,  
 Culmina deinde meum tollit ad alta caput.  
 Hostibus ipse meis dominabor & altior ibo  
 Hoc duce, qui circum tot mihi damna ferant.  
 Ipsius ante aras nostra cadet hostia dextra, †  
 Plurima quæ laudum iubila plena sonet.  
 Huic arguta nouos referent Psalteria cantus,  
 Huic modulata frequens carmina Psalmus erunt.  
 Audi uerba Deus timida te uoce uocantis, †  
 Hic rogo ne duris auribus esse uelis.  
 De te sepe meo uerba hæc in corde loquebar, †  
 Sit faciem cunctis cura uidere meam.

D 5

Ipse

†

Precatio, ut de  
 us in templo,  
 hoc est, in uer-  
 bo & cultu  
 suo seruet.

†

Ratio cur id  
 petat. Quia q  
 uerbū habent,  
 habent firmam  
 consolationē  
 contra omnia  
 mala.

†

Pollicetur pro  
 beneficio gra-  
 tum cultum.

†

Perit ut porro  
 etiam sic gu-  
 bernetur.

†

Sententia est,  
 tua uox et man-  
 datū tuum est,  
 ut omnes quæ-  
 rant tuam faci-  
 em, hoc est, a  
 te expectent et  
 orent liberati-  
 onem. Id ego  
 facio, quero fa-  
 ciem tuam etc.



*Ipsę tuam quęro faciem pater optime rerum,  
Vnica te solum cura uidere mibi est.*

*Nunc illos ne auerte tuos neue occule uultus,  
Nęue tuo famulo durior esse uelis.*

*Te sine non alia est ratio quę seruet egentem  
Auxilio, sine te non uenit ulla salus.*

*Quare age seruatum toties ne desere seruum,  
Vna salus rebus cęlifer alte meis.*

*Et quoniam proprij me deseruere parentes,  
Colligę exily membra relicta mei.*

*Pande uias quas ingrediar, ne semita ducat  
Recta per hostiles, te pręeunte, manus.*

*Obsecro ludibrijs ne me permittę malorum,  
Opprobrio falsis testibus esse ueta.*

*Plurima nam mendax contra me turba coorta est,  
Qui nisi quod uanum est nil didicere loqui.*

*Credo equidem me posse frui bonitate piorum,  
Qua locus est uiuis, uitaq; morte carens.*

*Quisquis es, a Domino totus pendeto, tibiq;  
Sic animo consta fortis ut esse queas.*

*Ille tibi uires roburq; in corpora mittet,  
Tantum perge Deo fidere, salus eris.*

*Insigne  
Ἐπιφώνημα  
Expecta Domi-  
num, fortis est.*

## PSALMVS XXVIII.

Ad te Domine clamabo, Deus.

## ARGUMENTVM.

Apparet hunc Psalmum a Dauide scri-  
ptum, cum periclitaretur propter regnum,  
ad quod diuinitus erat uocatus per Samu-  
elem.



elem. Est enim precatio in qua petit defensionem contra hostes, qui aperte nihil moliebantur, sed insidijs agebant omnia, sicut Saul initio faciebat.

In Saulem & Sauli similes est ista precatus,  
 Qui blandis linguas pectora praua gerunt.  
 His precibus saeuos contra, nos utimur hostes,  
 Qui lingua pacem, pectore bella frunt.

Psalmus Dauid.

**S**pes mea summe Deum tibi uota precesq; ferentē  
 Respice, nec fias ad mea uerba tacens.  
 Ne si forte preces pater auersere rogantis,  
 Sim uelut in foueam qui uiolenter eunt.  
 Audi quaeso preces quo tempore cunq; precabor,  
 Extendamq; humiles ad tua templa manus.  
 Ne me cum reprobis puni, qui blanda loquuntur  
 Consilia, ac tacite pectora praua gerunt.  
 Tu meritis horum da munera digna nec ipsos  
 Respice mercedem, quam meruere ferant.  
 Facta etenim neglexerunt diuina uolentes,  
 Trudet ad ima, illos non super alta uehet.  
 Gloria, laus & honor tibi sit pater optime diuum,  
 Qui facili nostras accipis aure preces.  
 Pectoris ipse mei Deus est certissima uirtus,  
 Eximum est robur pectoris ipse mei.  
 Hoc ego ceu clypeo nixus ferar obuius hosti,  
 Hoc etenim uictrix dextera facta mea est.  
 Pectoris atq; animi fixa est spes omnis in ipso,  
 Ipsius in laudes carmina nostra fluent.

Propositio, deus exaudi me.

Ratio, quia absq; te si sit, perij.

Iam explicat precationem, quomodo uelut audiri.

Putant mea te meritate fieri qd tu iussisti. Gratia; actio

Epiphonemata sunt haec.

Ille



Christū, id est,  
me quem ius-  
sit ungi in Re-  
gem.  
Orat pro tota  
Republica.

Ille etiam vires & robur subdidit ipsis,  
In quibus & Christum roborat ipse suum.  
Nunc populum serua qui te colit unicus hæres,  
Atq; tuæ curam posteritatis habe.  
Pascere tuam populum, tibi pectora fida gubernat,  
Cuncta pater tecum tempora donec erunt.

## PSALMVS XXIX.

Afferte Domino, filij Dei afferte.

## ARGVMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi, quod per Euangelion erat parandum. Est autem totus Psalmus allegoricus, sicut Prophetae quoq; similibus allegorijs hæc mysteria inuoluerunt.

Vox Euangelij totum spargenda per orbem,  
Hic quoq; Iesæo dicitur esse seni.  
Admonet ut quoscunq; homines mirantur honores,  
Ante Deum discant uilius esse nihil.

Psalmus David.

Exordij loco  
ponit adhorta-  
tionem, ut om-  
nes se parent  
ad obediendū  
Euangelio.

**H**Uc agite huc afferte Deo decora omnia laudū,  
Quos alij uirtus ante superba tulit.  
Et decus & laudem Domino date nomina digna  
Ipsius, atq; ipsum quæ decuisse queant.  
Huic & adorantes in sancto assistite templo,  
Accipiat ueras regia sancta preces.  
Vox Domini super exit aquas, cui gloria soli est,  
Intonat ipse super flumina magna Deus.

Narratio, Eu-  
angelion uul-  
gatur in totū  
orbem.

Vox



Vox Domini uirtute potens uox magna decensq;  
Omnia confringens, omnia concutiens.

Vox Domini Cedros confringens, franget & ipse  
Voce Cedros Lybani concutiente Deus.

Nec secus ac uitulos facit exluisse potentis  
Voce Dei trepidas concutiente Cedros.

Præcipue Lybanum ingentem comouit & Hermon,  
Vnius ut cornu quale fuisse firunt.

Vox Domini flammis dirumpit & excutit ignes,  
Desertum Domini uox trepidare facit.

Vox Domini loca commouit deserta Cadesi,  
Qua loca Sinaici uerticis astra petunt.

Magna Dei trepidas mouere tonitrua ceruas,  
Et fœtus grauidæ parturire nouos.

Verba Dei uastis nudarunt arbore siluas,  
Amplius & solitius non habuere comas.

Ipsius in templo Domini dicentur honores,  
Dicitur summo gloria summa Deo.

Diluuium Dominus sedet ut graue præparet orbi,  
Aeterni Dominus nomina Regis habet.

Ille suo uires populo dabit, omnibus illo  
Dante saluiferæ commoda pacis erunt.

PSALMVS XXX.

Exaltabo te Domine quoniam.

ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, quod liberatus sit  
uel a morbo pestifero, uel a tentationibus,  
in quibus quidam mortis gustus est. Habet  
autem

Significat fructus uerbi qd arguit peccati omnes, & postea erigit iterum.

Hic Synagogâ significat.

Vis uerbi penetrans.

Hic Gentes significat, ad quas etiam affertur Euangelion.

Hic cultus Dei in nouo Testamento. Diluuium hoc liberum est, uel ad Baptismum uel totum Euangelion referre. Nam Petrus quoq; Baptismum cum diluuio confert.



autem insignem commendationem misericordiae Dei & consolationem, quod Deus etsi affligit suos, tamen iterum liberet, sicut dicit: Momentanea est ira eius, & uoluntas eius est ut uiuamus, uespera adest fletus, mane exultatio &c.

*Liber ab ærumnis quibus anxius ante fuisset,  
Salua, Deo grates, pectora letus agit.  
Cernis ut exultet, quantisq; affectibus intus  
Spiritus erumpat per sua uerba foras.*

Psalms & canticum dedicationis domus Dauid.

Gratiarū actio **I**N tua perpetuas attollam nomina laudes,  
Mi Deus, & causa est cur ita semper agam.  
Ratio in qua commemorat beneficium. Nam me mortifera tanquam de sorde leuatum,  
Lucida iussisti tollere ad astra caput.  
Inde nec insultare meos mihi passus es hostes,  
Gaudia ne de me qualiacunq; ferant.  
Mi Deus ingenti sanasti uulnere læsum,  
Cum peterem tua uis ut mihi ferret opem.  
Ad Styga delapsus reuocasti ad lumina uitæ,  
Nunc quoq; quod uiuo, muneris omne tui est.  
Ne morerer tua seruauit me dextera uiuum,  
Frigidus effossa ne sepelirer humo.  
Hortatur ad gratiarum actionē alios quosque. **O**igitur Domino præconia dicite laudum,  
Quorum certa Dei pendet ab arce salus.  
Quamq; potestis ei dignas persoluite grates,  
Ipsius ut memores nomina sancta canant.

*Ipsius*



PSALTERIUM.

63

Ipsius ira breuis cito præterit, exit in ictu,  
 Quàm cito consumpta fulgura nube solent.  
 Quos amat his uitam tribuit, duce uiuitur illo,  
 Cum morerer uitam reddidit ille mihi.  
 Vespertina graues traxere crepuscula fletus,  
 Immoderata nouum gaudia mane tulit.  
 Cum fors aspiceret læto me candida uultu,  
 Perpetuo rebar posse manere loco.  
 Nam tua sancta mihi stabiliiuit sceptrâ uoluntas,  
 Quæ duce te firmi culminis instar habent.  
 Mox uerò ut placidi uertisti lumina uultus,  
 Turbato attonitus pectore totus eram.  
 Ad te confugiam supplex, tua numina poscam,  
 Ante thronum ueniet nostra querela tuum.  
 Quid tibi contulerint, quid ue utilitatis habebunt,  
 Si mea quis rapida corpora mandet humi?  
 An ne tuum sterilis celebrabit puluis honorem?  
 Num ne tuam dicent ossa sepulta fidem?  
 Nunc precor exaudi pater, & miserere precantis,  
 Rebus in afflictis, nam potes, affer opem.  
 Tu iucunda meum uertisti in gaudia luctum,  
 Mutata est læto mæsta querela choro.  
 Tu mea ferali spoliasti corpora sacco,  
 Cimxerunt nostrum gaudia uera latus.  
 Ut mea lingua tuas canat omni tempore laudes,  
 Nec sileant nomen carmina nostra tuum.  
 Perpetuo tua facta canam, tibi maxime rerum,  
 Et merito, grates hic & ubiq; feram.

Ratio adhora-  
 rationis.

Probat ratio-  
 nem suo exem-  
 plo.

Precatio.

Ratio precati-  
 onis, ad glori-  
 am tuam perti-  
 net, si me ser-  
 ues.

Redit ad grati-  
 arū actionem.

Psalmus



In te Domine speraui, non confun.

ARGVMENTVM.

Est precatio, sed in qua uarij affectus cerantur, nunc laudantium Deum, nunc iterum trepidantium, & orantium ad Deum, nunc adhortantium alios quoq; ad fidē etc. Hæc uarietas magnam consolationem habet. Ostendit enim ne sanctos quidem semper eadem esse animi firmitudine contra mala.

Quos agat affectus duris uita anxia rebus,  
Quas eadem grates libera facta ferat:  
Hoc tibi Psalmographus depinxit carmine uates,  
Cuius ut agnoscas munera, discere sequi.

Vincenti Psalmus Dauid.

**C**uius ab humanis non est effabile nomen  
Vocibus, o rerum spes, uia, uita, salus:  
In te præsidium statui mihi, tota salutis  
Spes est in manibus condita nostra tuis.

Precatio. Ne sine, ut incutiant aliquem mihi adacta pudorem  
Scandala, sed solita me tueare fide.

Huc age flecte tuas, quibus omnia percipis aures,  
Et cuiò fer, supplex quam tuus ambit, opem.  
Sis mihi in auxilium tanquam fortissima rupes,  
Quamuis armorum frangere nulla queat.  
Sis uice munitæ quam nemo cuerterit arcis,  
Illa domus nostræ cura salutis erit.

TU



Tu siquidem turris fortissima, tu mea rupes,  
 Tu mihi dux igitur, tu mihi rector eris.  
 Quæ posuere mali, de retibus erue captum,  
 Plus alijs longe roboris unus habes.  
 Accipere hanc animam manibus digneris amicis,  
 Et commendatam ser precor esse tibi.  
 Nam tua me pietas & ab hoste & peste redemit,  
 Vno te poterit uerius esse nihil.  
 Odio qui magicas uitam coluere per artes,  
 Omnis at in Domino spes mihi fixa manet.  
 Cum me lætifica facias pietate beatum,  
 Qui potero laudis non memor esse tuæ?  
 Hæc mihi gaudia erunt ppria, hæc mihi uota manebunt  
 Læter ut ex animi dexteritate tui.  
 Nam mea percussi sanasti uulnera cordis,  
 Depulit ærumnas & tua dextra meas.  
 Nec me passus eras includi hostilibus armis,  
 Lata uia est pedibus, te duce, facta meis.  
 Respice me, miserere pater, pius esto roganti,  
 Nam miser ærumnis opprimor immodicis.  
 Assiduo facies contabuit anxia luctu,  
 Sunt sua nunc animæ uulnera facta meæ.  
 Comminuit miserum pungens angustia uentrem,  
 Amisit uires anxia uita suas.  
 Languit assiduis consumta doloribus ætas,  
 Et mea me uirtus deflua deseruit.  
 Delicta euertunt mea me, corda ægra fatiscunt,  
 Nec succus miseris osibus ullus mest.  
 Omnibus opprobriū contemnor ab hostibus, & sum  
 Factus uicinis fabula fœda meis.

Ratio precat  
 onis te solum  
 habeo adiuto  
 rem,

Gratiarũ actio  
 p liberatione.  
 Redit ad pre-  
 cationem.

Redit ad pre-  
 cationem.

Narratio in  
 qua cõmemo-  
 rat afflictiones  
 & pericula.

Vide hic quo-  
 modo sancti in  
 mundo habe-  
 antur.

B

Dis



Digressum foribus noti fugere, nec ægro  
 Vllus amicorum ferre uolebat opem.  
 Non est ulla mei ratio super amplius ullis,  
 Ac si me fati uincula dura ligent.  
 Ceu nunquam fuerim, me obliuiscuntur amici,  
 Creditus abiectæ sum uelut umbra rei.  
 Nam mala fama meas multorum perculit aures,  
 Et quacunq; solet parte uenire timor.

Repetit preca-  
 tionē, & osten-  
 dit exemplum  
 quod nos in si-  
 milibus pericu-  
 lis sequi debe-  
 mus.

Dum male consultant qua me ratione trucident,  
 Qua capiant animam conditione meam.  
 Nostra tamen soli tibi spes constanter adhæret,  
 Nam mihi te præter quis Deus esse potest?  
 In manibus mea uita tuis & tempora uitæ,  
 Bripe ab hostili me pater alme manu.  
 In me sparge tui radios & lumina uultus,  
 Esse tua saluum pro pietate sine.

Imprecatio cō-  
 tra hostes.

Néue pudefiam fragilis discrimine uitæ,  
 Totus enim de te pendeo teq; sequor.  
 Impia turba suo confusa pudore feratur,  
 Mutescat Stygios impius ante lacus.  
 Mendaces fileant de iusto falsa loquentes,  
 Dum fastu nimio turgida corda gerunt.

Ἐπιφώνημα  
 In quo prædic-  
 cat Dei bonita-  
 tem, ut iterum  
 ad gratiarum  
 actionem acce-  
 dat.

Quam bona seruasti te magna timentibus, & quam  
 Sunt ea secreta condita claue tibi.  
 Iam mundo spectante tuis bona quanta dedisti,  
 Submitunt fidei qui sua corda tuæ.  
 Occule sub latebris ipsos, ne turba malorum  
 Irruat, & capitis iura superba ferat.  
 Ipsos ceu tacito tuguri sub culmine condes,  
 Ne mala iurgatrix lingua mouere queat.

Atq;



Atq; hymnis & laude Deus dignissimus omni est,  
 Qui mihi munita dexter in urbe fuit.  
 Cum fugerem præceps, & spes iam nulla subesset,  
 Mens fuit abiectum me procul esse tibi.  
 Audisti tamen, & precibus rata uota dedisti,  
 Abs te cum querula uoce precarer opem.  
 Diligite ò animæ Dominum, pia pectora, sanctæ:  
 Is seruat fidei quos pia cura tenet.  
 Ille superbiorum factis sua iusta rependit  
 Præmia, fastosos destruit ille uiros.  
 Este uiri constanti animo, qui nomen amatis  
 Ipsius, hic uobis fortia corda dabit.

Gratiarū actio

Ecce affectus  
sanctoꝝ in ten-  
tationibus.Adhortatio ad  
ecclesiam, ut in  
periculis sint  
constantes, &  
expectent libe-  
rationem.

## PSALMVS XXXII.

Beati quorum remissæ sunt.

## ARGUMENTVM.

Hic Psalmus habet doctrinam insignem  
 de iustificatione, quod iusti & beati sumus,  
 non alia re, quam si peccata quæ habemus  
 omnes non imputentur, tegantur, remittan-  
 tur, hoc est, non iustificamur operibus, aut  
 lege, sed sola fide, quæ apprehendit miseri-  
 cordiam Dei, quam in Christo declarauit, si-  
 cut Christus dicit: Qui credit in me, non ui-  
 debit mortem in æternum. Item: Qui credi-  
 derit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Quæ uis peccati, quæ sit natura reatus,  
 lanua quæ ueniæ, quo reseranda modo:

E 2

Hic



Hic docet & sanctos peccati lege teneri,  
Quæ tamen admittant crimina cuncta tegi.

Dauid erudiens.

Propositio: Beatus est cui remissa sunt peccata.

\* Ratio propositionis sumpta a propria experientia. Nō potui esse quieto animo, priusquā crederē remissionem peccatorum. Sicut Paul. Rom. V. Iustificati fide pacē habemus apud Deum.

\* Alia ratio ab exēplo totius ecclesie, expē de autem quid sit sanctos orare remissionē peccatorum.

Adhortatio, ut omnes accipiant misericordiam et credant remissionē peccatorum, hanc qui non accipiunt, hos comparat brutis.

**F**ELIX cui peccata Deus patrata remisit,  
Cuius ut inuoluerō crimina tecta latent.  
Felix cui Dominus uitium non imputat ullum,  
Cuius aperta nihil pectora fraudis habent.

\* Certe ego cum iam dudū animo oblectante tacerem  
Nec praua admissum mente faterer opus:  
Ossibus exhaustis corpus contabuit ægrum,  
Dum gemitu assiduo pectora mœsta fremunt.  
Me siquidem tua dextra premit noctesq; diesq;  
Nullus in hoc ultra corpore sanguis inest.  
Sicut ab æstiuis arefcit solibus humor,  
Sic mea nil succi membra sfontis habent.  
Propterea commissā palam peccata fatebor,  
Nec mea ceu ducta crimina nube tegam.

Et tibi præcipuè statui pater ista fateri,  
Spes ueniæ misero si qua uenire queat.  
Hæc ego dum meditor, tu crimina cuncta tulisti,  
Mox per te scelerum gratia facta mihi est.  
\* Hac super orabunt omnes tua numina sancti,  
Tempore quo possint commoda ferre preces.  
Quod mala si ueniant tanquā mare fluctibus undans,  
Nullum his diluuium, nulla nocebit hiems.  
Tu mihi præsidium, tua me protectio seruet,  
Ut tibi seruatus carmina grata canam,  
Firmabo ratione animum tibi, certa docebo  
Signa pedum, qua tu progrediare uia.

Proa



Prospiciam tibi ut attento tua lumine seruem  
 Omnia, ut ex nutu stet tua uita meo.  
 Ne similes fiatís equis brutisue caballís,  
 Bruta etenim cum sint hæc ratione carent.  
 Horum tu breuibús constringes ora lupatis,  
 Noluerint forsán si tua iussa sequi.  
 Impius ærumnas multas patietur, at ille  
 Qui didicit Domino fidere, saluus erit.  
 In Domino gaudete pijs, nam gloria uestra est,  
 Qui geritis recta pectora plena fide.

Epiphonema,  
 cui addit exhortationem  
 ad agendas gratias tam miseræ  
 cordi Deo.

PSALMVS XXXIIII.

Exultate iusti in Domino, rectos.

ARGUMENTVM.

Est insignis gratiarum actio, in qua commemorat beneficia Dei, quod uerbum dat, quod bonos defendit, malos punit, quod omnia condidit mirabiliter &c. Pertinent autem hæc ad consolandos nos, ut cum sciamus, tam potentem Deum nos habere, tanto certiore in ipsum spem ponamus.

Latari iubet, & meritas persoluere grates,  
 Nomina iustificæ qui pietatis amant.  
 Saluat enim seruatq; suos, nec deserit unquam,  
 Quantumuis miseros perfidus hostis agat.

Propositio:  
 laudate omnes  
 mecum Dominum,  
 copia ostendit affectum  
 Quos gaudij.

**C**oncipite ergo animis noua gaudia, tollite mentes,  
 Qui colitis pura simplicitate Deum

E 3

Quos



Quorum nam fidei sunt pectora dedita rectæ,

Hos pia laudandum laus decet ante Deum.

Ipsius & Citharam fidibus cantate sonoris,

Ipsius & laudes musica nabra sonent.

Dulcisonos illi decachordi extendite nervos,

Dicite carminibus iubila plena nouis.

Narratio beneficiorum Dei. Recta etenim semper Deus est, & uera locutus,

Et quæcunq; facit, facta probanda facit.

Iudicat, & iusta considerat omnia lance,

Iusticiæ cunctis æqua ferentis amans.

Beneficentiâ. Immensum Domini pietas est nota per orbem,

Tota suas illi terra fatetur opes.

Potentia. Verbo cuncta Deus cœli quoq; condidit orbem,

Oris & afflatu sidera pulcra sui.

Inclusas pelagi uelut utere coërcuit undas,

Cuius adhuc nulli scire profunda dedit.

Interferit ad hortationem. Tota Deum metuat proiectæ machina terræ,

Hunc timeat quisquis terrea regna colit.

Quod uolet ipse etenim factū est quo tempore dixit,

Hic si quando uolet iussa peracta tenet.

Impedit consilia Tyrannorū. Consilia auersæ quæ Gentes sæpe probârunt,

Dissipat & fraudi non sinit esse locum.

Quæ statuit Dominus rata sunt, & sine carebunt,

Consilia in summos non abolenda dies.

Ἐπιφώνημα. Felicem populum, cui se Deus ipse colendum

Obtulit, & cuius se dedit esse Deum.

Felicem populum quem sic elegit, ut hæres

Ipsius æternus nominis esse queat.

Pergit in narratione. Excelsi Dominus de summo cardine cœli

Intento humanas lumine spectat opes.



Prospicit humano cunctos è semine natos  
 Cuncta sui spectans de regione throni.  
 Ipse regit mentes illorum, & pectora firmat,  
 Cuncta opera illorum, quæ regit ipse, uidet.  
 Non iuuat armatum numerosa potentia Regem,  
 Non redimit fortem uis generosa uirum.  
 Fallet equus dominum quem uincere posse putabat,  
 Immodico quoniam robore fultus erat.  
 Qui Dominum metuunt hos respicit ipse, nec unquam  
 Deserit, hostili nec finit arte premi.  
 Qui pia diuinæ bonitatis munera quærunt,  
 Horum animas certa sæpe salute beat.  
 Hos prædura famis per tempora pascit egentes,  
 Ne miseros rapiat mortis auara manus.  
 Et nunc ad Dominum directa est nostra uoluntas,  
 Fortia qui nostræ scuta salutis habet.  
 Pectora concipiunt noua gaudia nostra per ipsum,  
 Spes rata in ipsius nomine nostra manet.  
 Nunc tua nos bonitas diuûm pater optime seruet,  
 In te sperantes ut tua turba sumus.

Insignis anti-  
 thesis, quæ fi-  
 duciam huma-  
 norum præsi-  
 diorum dam-  
 nat & prædi-  
 cat timorem  
 Dei.

Redit ad grati-  
 arum actionem

Claudit Psal-  
 mum precati-  
 one.

## PSALMVS XXXIIII.

Benedicam Domino in omni  
tempore.

## ARGUMENTVM.

Est idem argumentum cum præcedenti  
 Psalmo, quem Dauid composuit, cum peri-  
 clitaretur apud Abimelech: Primo Samuelis  
 XXI. Habet autem intertextas adhorra-  
 tiones

E 4 tiones



tionēs suauissimas, & amplissimas consolations, quod etsi affligantur Sancti, tamen Deo curæ sint &c. Est omnino Psalmus pulcherrimus.

Quòd Deus orantium uoces exaudiat omni  
Tempore, uiuendi quæ uia prima docet.  
Omnes affligi ueræ pietatis amantes,  
Donec in hac uita morbida membra trahant.

Psalmus Dauid, quando mutauit faciem suam coram Abimelech, qui expulit eum, & ipse abiit.

Propositio gratiarum actionis.

**D**icite perpetuas Domino mea camina laudes,  
Tam iustum nullo tempore cesset opus,  
Nostra Deo laudem nunquam non ora loquentur,  
Huic mea non unquam lingua iacebit iners.

\* Hortatur alios quoque ad gratiarum actionem

Gloria nostræ animæ Deus est, hunc ergo loquetur  
Exul, ut hæc spectans gaudia certa ferat.

\* Narratio in qua exponit causam cur uelit Deo gratias agere,

\* Perpetuas Domino mecum nunc dicite laudes,  
Tollamusque simul nomina magna Dei.

\* De se loquitur Dauid.

Sollicito Dominum querenti pectore faustum  
Annuit, & placidum se dedit ipse mihi.

\* Insignis consolatio, quod Angeli sint custodes piorum, ij. Regum vi.

\* Annuit aure mihi placida, mox abstulit omnes  
Terrores animo qui nocere meo.

Gaudebunt quicumque Deo constanter adherent,  
Nec facies horum quo pudefiat erit.

\* Exul hic ad Dominum clamans, auditus ab ipso est,  
Quem simul ærumnis omnibus eripuit.

\* Qui Dominum metuunt ceu castris circuit illos,  
Peruigil & saluos angelus esse facit.

Scire



Scirelibet Dominus quàm sit bonitate suauis,  
 Huc sensus omnes uertite, scire licet.  
 Felicem quicumq; illi confidit, & audet  
 Sperare à Domino, qua releuetur, opem.  
 Sanctorum ex animo Dominum pia turba timet,  
 Nulla ita dispositis copia deesse potest.  
 Esurient dices, opulenti rebus egebunt,  
 Quærentes Dominum copia diues alet.  
 Huc agite ò pueri mea uerba audite fideles,  
 Pectora ut erudiam uestra timore Dei.  
 Qui cupis innocua traducere tempora uitæ,  
 Pacataq; bonos mente uidere dies.  
 Sit tibi cura tuæ, ne deerret ad improba, lingua,  
 Oraq; ne possint uerba dolosa loqui.  
 Quæ bona sunt facito, fuge quæ mala cunq; uidentur  
 Maxima quæ sita commoda pacis habe.  
 Ipse Deum custos, oculis pater aspicit æ quis,  
 Ipsorumq; pia percipit aure preces.  
 Ipse suos uultus intendit in impia agentes,  
 De terra ipsorum nomina ut eiciat.  
 Ad Dominum fudere preces, audiuit, & ultro  
 Auxilium istis, quod petiere, tulit.  
 Corda, prope est Dominus fractis, animosq; iacentes  
 Erigit, & miseros ad meliora leuat.  
 Multa uiro semper ueniunt incommoda iusto,  
 Hoc duce cuncta tamen per mala saluus erit.  
 Omnia sic famuli custodiet ossa fidelis,  
 Ut ne uel minimum de tot abesse uelit.  
 Impius aduersa quauis ratione peribit,  
 Qui iustum oderunt plurima damna ferent.

Adhortatiões  
 suauissimis cõ  
 solationibus  
 ornata.

Docet timo-  
 rem Dei.

Iusti affligun-  
 tur.  
 Sic Christus :  
 Capilli capitis  
 uetri numera-  
 ti sunt, quanq;  
 uideri pōt sub  
 in dicasseresur  
 rectionē carnis



Liberat ipse animas Dominus de morte suorum,  
Quiq; illi fident, hos mala nulla prement.

## PSALMVS XXXV.

Iudica Domine nocentes me.

## ARGVMENTVM.

Est precatio contra eos, qui præter meri-  
tum, bonos oderunt & calumniantur, & ta-  
men simulant pacem & amicitiam. Huius-  
modi homines in aulis plerunq; sunt.

Quàm fidei noceat uesana calumnia uerbo,  
Carminè in hoc, uatis iusta querela, monet.  
Regnet ut hæc regum sæuissima pestis in aulis  
Saulis ab exemplo condidit ista tibi.

Psalmus Dauid.

Propositio pre-  
catiōis, quam  
affectus tam co-  
piosam facit.

**A**D te confugio, tua numina pronus adoro  
Summe parens, animi suscipe uota mei.

Obruor ærumnis, euertor fraude malorum,

Auxilium misero ni tua dextra ferat.

Quare age conantes me perdere crimine cassum,

Perde suis technis, & nocuisse ueta.

Corripi tela manu, scutum cape, tollere in ensam,

Vt manus hostilis te feriente cadat.

Condita uictrici deprome hastilia dextra,

Hostibus ut possis obuius ire meis.

Dic animæ pater auxilij præsentis egenti,

Certa salus ex me debet adesse tibi.

Deficient ignominia, pudor obruet ipsos,

Insidias uitæ qui posuere meæ.



Per sua collapsi retro malefacta redibunt,  
 Turba malum capiti quæ meditata meo est.  
 Fiant ut paleæ quas quælibet aura moratur,  
 Et Domini miseros angelus exagitet.  
 Ipsorum uia sit tenebris obducta profundis,  
 Fallat & impressos lubrica facta pedes.  
 Ales ab excelso iuuenis delapsus Olympo,  
 His aliquo requiem non sinat esse loco.  
 Nam neq; tale aliquid foueam fecere merenti,  
 Occultantem animæ retia tensa meæ.  
 Turbetur subito per non præuisa tumultu,  
 Intereat laqueo captus ab ipse suo.  
 Hic animus uero capiet noua gaudia ab ipso,  
 Cuius lætifica est plena salute manus.  
 Quæ mihi sunt, plenis affectibus intima dicent,  
 Summe Deum, similis quis queat esse tibi?  
 Qui facis afflictum robusti obtundere uires,  
 Atq; hostes inopem uincere posse suos.  
 Aduersum testes me producuntur iniqui,  
 Qui, quæ non didici dicere facta iuben.  
 Pro bonitate mea mihi facta indigna rependunt,  
 Aerumnas animæ deliquiumq; meæ.  
 Ipsa autem quando sibi fata aduersa ferebant,  
 Vestitus sacco summa tegente fui.  
 Ipse tuli longis ieiunia cruda diebus,  
 Et tacitas fudi nocte dieq; preces.  
 Non secus ex illis ac si mihi proximus esset,  
 Non secus ac frater forte fuisset eram.  
 Sicut mater eram natum quæ luget ademptum,  
 Pullaq; in atrato corpore uestis erat.

Per angelos  
etiam punit De  
us.

Hic narrat pe-  
riculum.

Contra.



Sic remunera-  
tur piorum ho-  
minum merita  
mundus.

Claudos uo-  
cat, sicut iij.  
Reg. cap. xiiij

Redit ad pre-  
cationem, in  
qua subinde re-  
perit innocen-  
tiam suam &  
aduersariorū  
iniustam crude-  
litatem.

Contra ego cum premerer, cū sorte grauarer iniqua

Latantes aliquem uix habuere modum.

Conuenere homines claudi studioq; maligni

In me quo timui tempore tale nihil.

Hi mea discerpunt uelut intima uiscera, nec dum

Scuitiæ finem friuola pestis habet.

Assentatores, & turba obnoxia uentri,

Dentibus insident in mea damna suis.

Quam pater ista diu tandem te ferre iuuabit?

Quo me deiectum tempore restitues?

Bripe me tanti de colluione tumultus,

Esuriens auido ne foret ore leo.

Per populos tua facta canam, cœtuq; frequenti

Materiam laudis commemorabo tuæ.

Nulla ferant de me noua gaudia, qui sine causa

Callidi, ut insontem persequerentur, erant.

Néue oculo nutante malum mihi deinde minentur,

Qui causas odij non habuere sui.

Nam nil pacificum, sed friuola uerba loquuntur,

Verba quibus iustos per loca cuncta premant.

In me lata uagis diducunt rictibus ora,

Vab ea dicentes lumina nostra uident.

Aspicis hæc supreme parens, ne desere mæstum,

Ne sileas, ne absis longius inde mihi.

Surge & in auxilium causæ expergiscere nostræ,

Iudicij tu dux optimus huius eris.

In manibus mea uita tuis, tu discute index,

Insticiæ dicar subditus esse tuæ.

Ne mea leticiæ mala sint noua causa malignis,

Et pia ne credant uota peracta sibi.

Néue



Neue putent miserum cœtu oppressisse nefando,  
Nec se materiam cladis habere meæ.

Præmia perfidiæ pudor & confusio turbent  
Omnes, ex animo quos mala nostra iuuant.

Cunctas illorum obscurent mala nomina laudes,  
De me quos nimium gloria falsa leuat.

Perpetua uerò felices laude ferantur,  
Iusticiæ faulrix turba comesq; meæ.

Hi Domino laudes per sæcula cuncta loquentur,  
Qui famulo pacem iusserit esse suo.

Gratiarū actio

Nec mea, summe parens, tua nomina, lingua filebit,  
Iusticiæ memorans inelyta facta tuæ.

## PSALMVS XXXVI.

Dixit iniustus ut delinquat in se  
metipso &c.

## ARGVMENTVM.

Consolatur pios contra furorem impi-  
orum, ac belle pingit impios quales sint. In  
fine etiam orationem adiicit, ut Deus in uer-  
bo contra impios & ipsorum insidias ac  
technas seruet.

Qua ratione, quibus possis cognoscere signis  
Hæreticum, & quisquis dogmata falsa serit,  
Tum iustis adhibet solatia, deinde precatur,  
Tutus ut à tantis pestibus esse queat.

Vincenti Psalmus David serui Domini.

Sæpe



Narratio est in  
qua impiorum  
studia descri-  
bit.  
Sunt securi.

Arrogantes &  
in alios contu-  
meliosi.  
Mendaces.  
Incorrigibiles  
Intenti ad no-  
cendum.

Opponit nunc  
consolationē  
quod Dei auxi-  
lium sit in fini-  
tum potens cer-  
tum & iustum,  
quo Ecclesiam  
contra malos  
tuetur.

Claudit preca-  
tione.

**S**Aepe graues imo gemitus de pectore duxi,  
Quod sit egens meritis impius ante Deum  
Quod non signa Dei prae se ferat ulla timoris,  
Per mala blanditus quae facit, ipse sibi.  
Donec digna odio quae perpetrat ipse probentur,  
Dum sibi plus nimio per sua facta placet.

Friuola uaniloquo mendacia gutture iactat,  
Nec fieri melior, nec bonus esse studet.  
In propria semper meditatur iniqua cubili,  
Ambulat iniustum, per mala tutus, iter.  
At caelum bonitate tua sanctissime plenum est,  
Nuncia sunt fidei nubila regna tuae.

Iusticiae rata iussa tuae, ceu saxea, constant  
Culina, ceu montes quos tua dextra tenet.  
Immensae tua iudicia astimulantur abisso,  
Tu saluas hominem, tu pecus omne Deus.  
Quam pietas preciosa tua est, dum semine natos,  
Humano dextrae protegit umbra tuae.

Pascentes tibi erunt saturi pinguedine multa,  
Quam tribuere domus dona opulenta tuae.  
Hos tu potabis fluuio quem semper inundat  
Ista uoluptatis copia plena tuae.  
Te penes est etenim uitae fons ille salubris,  
Cui sua uitales uena scaturit aquas.  
Nobis inde tui donata luminis aura,  
Fas etiam uerum cernere lumen erit.

Dexter & auxilio te cognoscentibus esto,  
Et qui plena pie pectora pacis habent.  
Ne ueniat nostrae malesuada superbia menti,  
Ne premit infidi me uiolenta manus.

Illic



*Illic prava etenim ceciderunt facta patranes,  
Et bene quo starent non habuere locum.*

PSALMVS XXXVII.

**Ne æmulare malignantes, neq̃.**

ARGVMENTVM.

Est insignis consolatio contra scandalum quo nonnunquam p̃ij offenduntur, cum uident se quasi a Deo negligi, impios autem felices esse & florere. Hortat̃ igitur Psalmus ad patientiam, ne ideo deñciamur de statu animi, aut impiorum exemplo peccemus. Videbis autem creberrimas repetitiones ad hortationum, & consolationum, quibus Spiritus ostendit, quam natura simus proni ad uindictam. Quare opus est ut hoc patientiæ præceptum assidue inculcetur.

*Vt patiente oculo uideas florere malignos,  
Raptari, affligi per mala multa pios.  
Disce pati, superanda omnis fortuna ferendo est,  
Fide Deo, sordes eluet ille tuas.*

Psalmus David.

**S**i qua sit, ut sunt innumera, tibi uisa malorum  
Improbis, ira commouere caue.  
Ne quibus est odio uirtus uitiumq̃; probatur  
Oderis, aut illis detrabe quicquid agent.  
Nam modo florentes, cito succidentur, ut herbae,  
Quas metit incurna rustica falce manus.

Gramm.

Propositio, ne  
stamacheris q̃  
impj sunt felices.

Ratio ppositi  
onis, quia bre  
ui peribunt.



*Gramina ut exiguis staccescunt iusta pruinis,  
Sic & iniquorum defluet omnis honor.*

Repetit propo-  
sitionem affir-  
mativæ.

Ratio a certa  
spe auxiliij, ut  
datur autē pri-  
mo muneri cō-  
tra hoc scanda-  
lum, quod im-  
pij sunt cele-  
bres & oppri-  
munt pios suo  
splendore.

*Crede Deo, confide Deo, spes omnis ab illo  
Sit tua, quæq; habitas in regione mane.*

*Nec te circum agitet totum uagus error in orbem,  
Quem dat cunq; Deus sub lare tutus eris.*

*Nec tibi defuerit quicquam, modo noueris illi  
Credere: credentem nutriet ipsa fides.*

*In Domino oblectare, & in hoc tua gaudia quære,  
Ille quod optaris, conferet omne tibi.*

*Illi quicquid ages, & te permitte regendum,  
Sic te non poterit pœnituisse tui.*

*Si speraris in hunc, si te commiseris illi,  
Optimus in cunctis dux erit ille tibi.*

*Iusticiæ dabit ille tuæ fulgere decorem,  
Sicut quæ rutilo lampades igne micant.*

*Virtutis fideiq; tuæ producet honorem,  
Ut medium clari sideris aura diem.*

*Illius expecta quæ sit mens, quæq; uoluntas,  
Te melius rebus consulet ille tuis.*

Etiamsi impij  
in sua impieta-  
te sunt felices,  
tamen noli eos  
imitari. Sic Da-  
uid agit Deo  
gratias qd per  
Abigaila reuo-  
catur ne occi-  
deret Nabalen  
cum tota fami-  
lia.

*Nec te commoueat uia fortunata malorum,  
Vita nec inflati concelerata uiri.*

*Ira animæ mors est, iram fuge, mitte furorem,  
Ne male commotus tu quoq; forsitan agas.*

*Nam cito de uiuis extirpabuntur iniqui,  
Fidentium Domino pars bona fortis erit.*

*Perbreue tempus adhuc & non erit impius ultra,  
Quæretur, nec erit quo fuit ante loco.*

*Totius exulibus cædet possessio terræ,  
Perpetuæq; bonis gaudia pacis erunt.*

*Impius*



Impius insultans iusto mala multa minatur,  
 Quem frændens auido rodere dente cupit.  
 At Deus irridet ludibria uana mouentem,  
 Illius exitium non procul esse uidens.  
 Impius exacti distringit acumina ferri,  
 Arcubus imponens tela parata suis:  
 Ut gladio interimat iustum feriatq; sagittis,  
 Quorum recta, nihil pectora fraudis habent.  
 Sed suo confodiet proprio præcordia ferro,  
 Ante suos arcus spicula fracta cadent.  
 Vnius angusta est melior possessio iusti,  
 Quam sunt diuitiæ quas malus omnis habet.  
 Brachia frangit enim Dominus robusta malorum,  
 At bonus huic fidens hoc duce saluus erit.  
 Tempora iustorum Dominus, cognouit & illos  
 Heredes regni deputat esse sui.  
 Turbida non illos confundere tempora possunt,  
 Non etiam poterit perdere dira fames.  
 Tempore quo preciosa malos annona uorabit,  
 Affluet & iustis copia diues erit.  
 Floreat, & bona possideat licet omnia terræ  
 Impius, in uentos ut leuis umbra fuet.  
 Namq; hostes Domini propere, ceu fumus, in auras  
 Diffugient, nec ab his pars erit ulla super.  
 Impius accumulât quæ nunquam debita soluit,  
 Larga manus iusti semper & æqua bonis.  
 Illius hæredum numero referuntur amici,  
 Ut teneant lati ditia regna soli.  
 E quibus eijciet maledictos partibus omnes,  
 Nec sinet electæ sortis habere locum.

F

Ipse

Cōsolatur etiam  
 iam contra pa-  
 tentiam impio-  
 rum, quod non  
 solum non læ-  
 dent pios, sed  
 sibi ipsis erunt  
 exitio.

Confolatur eti-  
 am, cōtra opes  
 et fortunam im-  
 piorum.

Alia cōsolatio  
 satis bella, im-  
 pij etiãsi abun-  
 dent bonis, ta-  
 men non utuntur  
 ijs bene, ideo  
 necesse est eos  
 perdere. Cur igitur  
 hoc inuides, quod  
 ipsis exitio est?



Ipsē uiri iusti uestigia dirigit, illi

Quæ pede sit iusti semita trita placet.

Pij habent re-  
missionem pec-  
catorum.

A sua experien-  
tia.

Hunc, si forte uia cecidit, non abiecit, imò

Exhibita lapsum subleuat ipse manu.

Et puer ipse sui quondam, & inuenilibus annis

Integer, & nunc me curua senecta premit:

Nunquam ab eo uidi desertum tempore iustum,

Ipsius aut aliquo semen egere cibo.

Astidue miseretur enim, & bona plurimā confert,

Et genus ubertas ipsius alma fouet.

Hortatur præ-  
cipue ad con-  
stantiam in bo-  
no opere, ne de-  
fatigetur pro-  
pter aduersita-  
tes uarias, aut  
imitemur impi-  
os.

Desere q̄ mala sunt, pete quæ bona, semper habebis,

Optima uiuendi commoda, semper eris.

Iusta Deus nam semper amat, nam diligit æquum,

Nec quoscunq; probat deseruisse potest.

Perpetuo ipse suos custodit tempore sanctos,

Cum tota impietas stirpe maligna perit.

Perpetuo terras habitabit tempore iustus,

Hic hæres Domini nempe futurus erat.

Consolatur eti-  
am commemo-  
ratione spiritu-  
alium honorū,  
quæ impij non  
habent etli cor-  
poralibus ho-  
nis abundant.

Labe carens ex ore fluet sapientia iusti,

Linguaq; curabit nil nisi uera loqui.

Ille gerit Legem Domini sub corde sepultam,

Illi sub pedibus lubrica nulla uia est.

Impius obseruans iustum, execratur & odit,

Quemq; odit, huic uitam præripuisse studet.

Sed Deus e manibus crudelibus eripit ipsum,

Nec finit iniusto iudicis ore premi.

Expecta Dominum, perq; illius impiger omnes

Quas tibi præscripsit, noueris ire uias.

Ille bonis adeo te prouebet omnibus auctum,

Vt tibi terrenæ possideantur opes.

Donec



Donec ab humanis eradicentur iniqui  
 Rebus, & eueniat læta uidere tibi.  
 Ipse uirum uidi florentem rebus iniquum,  
 Floret ut in pingui uiuida Laurus humo.  
 Præterij, nec erat uir hic amplius, occidit, ipsum  
 Quæsiui, nec erat uel breuis umbra super.  
 Dilige quæ bona sunt, rectum cole, iusta require,  
 Hæc faciens, alma pace beatus eris.  
 Sed bona desipiens qui negliget ista peribit,  
 Vna breuis ueniens auferet hora malos.  
 Iustis à Domino spes pendet & aura salutis,  
 Ille suis duro tempore robur erit.  
 Hos Deus eripiet quando opprimet impius, & cum  
 Inijcient sæuas impia fata manus.  
 His mala, defensore Deo, non ulla nocebunt,  
 Semper enim Dominum spem posuere suam.

Ab exemplis  
 Achitophel,  
 Absolon, &  
 similibus.

## PSALMVS XXXVIII.

Domine ne in furore tuo arguas me.

## ARGUMENTVM.

Est precatio contra peccata et malam con-  
 scientiam, proponit autem insignem doctri-  
 nam & exemplum, quod in ipso sensu iræ &  
 iudicij Dei sit retinenda spes misericordiæ,  
 & ad orationem confugiendum. Titulus est  
 ad reminiscendum, quoniam & peccati sui  
 & misericordiæ Dei reminiscitur.

Ardet & incensus magno calet igne medullas,  
 Dum caro, dum quærit spiritus æger opem.

F 2 Conscia



Conscia mens uitij uere dolet, ut bene speres,  
Te moneat pietas officiosa Dei.

Psalms David ad reminiscendum.

Propositio pre-  
cationis.

**Q**uamuis immodica uitiorum mole grauatum,  
Hoc uenia dignum uix queat esse caput:  
Ne tamen ô magni Deus autor & arbiter orbis,  
Ne precor irata corripe tela manu.  
Ne tuus omne nefas iustus furor opprimat ausum  
Crimina ne pœna uindice nostra preme.

Narratio in  
qua commemo-  
rat afflictiones  
suas, ac graphi-  
cè depingit ten-  
tationes pecca-  
ti seu conscien-  
tiæ.

Nam quæ tu irata misisti spicula dextra,  
Osibus hæserunt intus adacta meis.  
Illa etiam qua me tua magna potentia punit,  
Per mala iam dudum cognita plaga mihi est.  
Nulla meo pars est in corpore sana, quod iræ  
Non possum trepidans fulmina ferre tuæ.  
Membris nulla quies, nulla est pax osibus ægris,  
Tam me flagitijs uita onerata grauat.

INTVS PA-  
VORES.

Sarcina nam caput hoc suppressit iniqua malorum,  
Iamq; sua totum mole laborat onus.  
Plaga cicatricum computruit alta mearum,  
Quæ sunt stulticia uulnera facta mea.  
Tristibus immodice curis affligor in horas,  
Nec mihi læta dies, nec mihi grata uenit.  
Intima consumtis arescunt ossa medullis,  
In tota est sanum carne uidere nihil.  
Heu quàm sum nimio contritus membra dolore,  
Dum requies animo non uenit ulla meo.  
Ipse uides mea uota pater, mea pectora nosti,  
Nec gemitus ratio te latet ulla mei.

Lugua



Lugubre contremuit cor in imo pectore, uirtus  
 Omnis abit, uires interiere meæ.  
 Languida sublato caligant lumina uisu,  
 Et pro luce, graui nocte sepulta iacent.  
 Longe aberant à me quando affligabar amici,  
 Et plagæ stabant è regione meæ.  
 Interea misero laqueos & recia tendunt,  
 Insidias capiti qui posuere meo.  
 Et qui me oppressum cupiunt mendacia texunt,  
 Quorum animi nullo tempore fraude uacant.  
 Ipse uiro surdo similis, cui nulla per aurem  
 Vox eat, & presso gutturo mutus eram.  
 Tanquam surdus ero qui nesciat auribus uti,  
 Et qui non habeat quo queat ore loqui.  
 In te spero equidem, mea spes tibi semper adhæsit,  
 Quæ sine te non est ulla relicta mihi.  
 Pro me summe pater tu respondebis, & hosti  
 Eripies uires consiliumq; meo.  
 Nam metuo ne forte meis latentur iniqui  
 Cladibus, & de me gaudia plena ferant.  
 Quod si forte loco mihi pestitubauerit, hinc, quæ  
 Magnifice de me uerba loquantur, erunt.  
 Nam dura ut paterer sum factus & omnia ferrem,  
 Et meus est omni parte dolere dolor.  
 Confiteor siquidem uitæ delicta nocentis,  
 Factaq; sollicitum me scelerata premunt.  
 Sed uiuunt magnisq; mei sunt uiribus hostes,  
 Quiq; odio immeritum me petiere, ualent.  
 Qui benefacta malis pensant mea, sponte resistunt,  
 Quod nisi quæ fuerint optima, nulla sequar.

FORIS PV  
GNAE.

Repetit propo  
sitionem.

Vide conditio  
nem prox, sic  
Paulus: Quos  
prædestinavit,  
eos etiam præ  
destinavit con  
formes fieri i  
magini filij dei.



Ne me quaeso igitur pater optime desere, neue  
 Longius hinc absis quam mea caussa feret.  
 Auxilium propera, ser opem cito, redde salutem  
 Mi Deus, o miserum spes rata, certa salus.

## PSALMVS XXXIX.

Dixi custodiam uias meas, ut.

## ARGVMENTVM.

Proponit duplex scandalum, suam calamitatem & impiorum felicitatem, ac se confirmat contra utrunq;. Deinde orat ut primum Deus a tali securitate, qualis in impijs est, eum seruet. Deinde, ut liberet a peccatis, & peccatorum poenis. Nomen Iedithum in titulo, est nomen cantorís, id est, Paral. XXV. putant igitur ab eo decantatum esse hunc Psalmum.

Dum uidet iniustos rebus florere secundis,  
 Iustos indigna conditione premi:  
 Vincla suæ petit apponi retinacia linguæ,  
 Ne blasphema queat qualiacunq; loqui.

Vincenti Psalmus Dauid ipsi Ieditum.

Narratio, impij sunt fortunati & securi, sed non offendat.

**I**amdudum statui tota ut ratione cauerem,  
 Ne mea lingua nefas ederet ausa loqui.  
 Garrula mordaci constringam guttura freno,  
 Impius obseruans dum mea uerba notat.  
 Conticui, & ne uera quidem nec recta loquebar:  
 Verum ea caussa mihi plena doloris erat.

Contra, ego sum afflictus.

Inca.



Incaluerē mei penitissīma uiscera cordis,  
 Dum meditor sensus flamma fuere mei.  
 Lingua stupens igitur uelut hęc in uerbo soluta est,  
 Et quę nulla prius uox modo multa fuit.  
 Da mihi nosse meę quę sint stata tempora uitę,  
 Et quando ultima sint fata futura mihi.  
 Colligere ut possim quid in hoc mihi desit agenti  
 Corpore, quando illo deficiente cadam.  
 Ipse meos annos angusto sine coërcis,  
 Mensuram hos psalmsi dixeris esse dies.  
 Hoc breue, te coram momenti est nullius, æuum  
 Vix est quod totum uiuitur una dies.  
 Heu mihi quam sunt uana hominū spes, uota, labores, Hoc impij non  
 Quam status est fallax, quam nihil omnis homo credunt.  
 Nam quid agat ueluti umbra uagatur, obambulat, er  
 Motibus insanis omnia miscet agens. (rat,  
 Congregat, ignarus cui congreget, omnia raptim,  
 Congestas alijs inde relinquit opes.  
 Nunc tamen ô genitor quid me expectare iubebis?  
 Tota est in manibus spes mea fixa tuis.  
 Eripe me uitijs, et habenti crimina uitę,  
 Ludibrium stultis ne precor esse sine.  
 Tota meę uirtus obmutuit arida linguę,  
 Nec potui quicquam, te prohibente, loqui.  
 Verte tuas à me plagas, tua uerbera differ,  
 Exanimum dextrę me facit ira tuę.  
 Eius tu delicta, manu ceu uindice, punis,  
 Huic subito formę defuit omnis honor.  
 Huic membra asidua pereunt arentia tabe,  
 Ceu uestes tmeę comminuisse solent.

Prima pars  
 precatōnis. p  
 hibe, ne ita se-  
 curus uiuam si  
 cur impij, qui  
 nullam altam  
 uitam sperant.

Altera pars  
 precatōnis cō  
 tra peccata &  
 tentationes cō  
 scientiæ.

Vera cōtritiō



Ἐπιφώνημα *Tam nihili, tam uanus homo est, quicumq; sub isto*  
 ψαλτικόν. *Corpore mortali nunc agit, egit, aget.*

*Exaudi quas fundo preces, attende querelis,  
 Neue tace, lacrimis sed moueare meis.*

Repetit pre- *Sim licet ante tuos peregrinus & aduena uultus,*  
 tionem. *Sicut erant qui me progenuere patres.*

*Affere me, uires si forte resumere possim,  
 Quàm prius hinc abeam, nullus & esse queam.*

## P S A L M U S XL.

## Expectans expectaui Dominum.

## A R G V M E N T U M.

Pertinet Psalmus ad personam Christi, initio habet gratiarum actionem pro liberatione, deinde prophetiam de abrogatione Legis, & inuulgatione Euangelij ac Christi beneficio, quod impleuerit Legem, & sua merita per Euangelion Ecclesiae offerat & donet. Postremo precatio Christi est addita, portantis peccata mundi, & pro ijs in suo corpore satisfaciens.

*Vox est terribilem Christi patientis agona,  
 Huius enim uates hic gerit ipse typum.  
 Hinc quicumq; suis quærunt solatia curis,  
 Praeclarum exemplum quod meditentur habent.*

Vincenti Psalmus David.

Gratiarum actio  
 in qua comme-  
 morat benefi-  
 cium Dei.

**A**nxius expectans noctesq; diesq; morabar,  
 Numina praesentis plena fauore Dei.

Vidit



Vidit & afflictum miseratus ab arce paterna,  
 Noluit has nullum pondus habere preces.  
 Audijt & querulæ clamorem uocis anhelum,  
 Et properam misero ferre parabat opem.  
 Idem me ille lacus traxit de sorde profundi,  
 Qua grauis asiduo perstrepat unda sono.  
 Eruiit è cæno graue olenti, & stercore fædo,  
 Restituitq; meos in loca firma pedes.  
 Ille meum direxit iter gressumq; regebat,  
 Ne caderem, dubia nescius ire uia.  
 Condidit ille noui mihi carminis argumentum,  
 In laudem nostri, non triuiale, Dei.  
 Talia complures meditati facta uidebunt,  
 Et metuent, & spe pectora plena ferent.  
 Felicem qui corde Deo confidit, & audet  
 Spes omnes Domino credere uelle suas.  
 Quem fugit insano tumefacta superbia fastu,  
 Et quos mendaces friuola lingua facit.  
 Multa & magna quidem tua summa potentia nobis  
 Præstitit, & pietas hæc tua sine caret.  
 Erga nos tua magna fides, tua summa uoluntas,  
 Nullius exemplum, quo referatur, habet.  
 Quæ si cuncta uolens tua facta expromere coner,  
 Omnia uanus erit uelle referre labor.  
 Victima nulla tibi cordi est, libamina nulla,  
 Nulla holocausta tibi, nulla piacula placent.  
 Surdam dextra mihi tantum tua uellicat aurem,  
 Et mea nunc uerbo est auris aperta tuo.  
 Ergo age dicebam ueniam nunc ipse profecto,  
 Scripta liber de me quæ fateatur habet.

F 5

Scilia

Hic lacus est  
 passio & onus  
 peccatorum  
 mundi.

Vult confide-  
 rari suum ex-  
 emplum.

Epiphonema.

Accusat syna-  
 goga & digni-  
 tate suorum o-  
 perum nixos.

Prophetia.

Abrogatio  
 cultum legis.

Nouus cultus  
 amplecti uer-  
 bum.



Christus implet Legem.

Scilicet ut faciam quæ tu rectissima ducas,  
Summa uoluntatis debuit esse meæ.

Visceribus siquidem tua Lex est indita nostris,  
Cordis est in medio uiua reposita mei.

Hanc implerionem Legis, Euangelion prædicat & nobis offert.

Iusticiæ in magno referam tua nomina cætu,  
Tu nosti, quoniam non taciturus eram.

Iusticiæ mihi nota tuæ, non fama sepulta est,  
Non mihi nec pietas, nec tua tecta salus.

Non summum tacuisse tuæ bonitatis honorem,  
In magno populis agmine uisus eram.

Precatio.

Tu genitor supreme tui miserebere serui,  
Tu custos misero ne capiatur eris.

Ratio.

Nam mala me pessum, numero sine, multa dederunt  
Et mea me nimium pessima causa premit.

Sua uocat peccata, quia ea a nobis in Christum sunt transfusa, & per Christum expiata.

Obruor inuisa scelerum cennube meorum,  
Ut nullum uideant lumina nostra diem.

Et capitis potero citius numerare capillos,  
Quam mala quæ me nunc nocte dieque premunt.

Languida confusi liquerunt pectora sensus,  
Attoniti uirtus mortua cordis abit.

Eripe me his inuicte malis, hac mole laborum  
Exue, ferre citam neue moreris opem.

Maledicit Synagoga.

Occupet illorum pudor et confusio uultus,  
Qui uitam cupiunt eripuisse mihi.

Res horum retroruat, in peiusque feratur,  
Qui mihi sunt hostes, et mala multa uolunt.

Vasta sit illorum strages, turbentur et errent,  
Qui dicunt mihi: Sic accipiendus eris.

Benedicit Ecclesie fidelium

Gaudia suscipiant animis læti que triumphent,  
Qui tua quærentes numina sancta colunt.

Quia



PSALTERIUM.

21.

Quiq; probant quas & quantas operere salutes,  
 Hi tua magnifica nomina laude ferant,  
 Ipse equidem sum pauper, egens, abiectus & exul,  
 Sis precor auxilio, nam potes esse, mihi.  
 Te sine nulla salus, sine te mihi nemo redemptor,  
 Mi Deus, optatam ne remoreris opem.

Repetit pre-  
 cationem.

PSALMVS XLI.

Beatus qui intelligit erga egenum.

ARGVMENTVM.

Pertinet hic quoq; Psalmus ad personam Christi, orantis pro liberatione contra consilia Synagogæ. Habet autem manifestam prophetiam de resurrectione Christi. Et hic iterum fatetur se peccatorem, quia se in nostrum locum constituit, & pro peccatis nostris satisfecit. Citatur, Ioan. xiiij. capite, de Christo. Non igitur debet ad Dauidem transferri, sicut imperiti Iudæi delirant.

Hic quoq; uox eadem, queritur se fraude suorum,  
 Vnius infanda prodicione capi.  
 Anxius hinc subita duræ formidine mortis,  
 Orat ut hanc causam iudicet ipse Deus.

Vincenti Psalmus Dauid.

**F**elix ille, uirum duris qui in rebus egentem\*  
 sustinet, & meritis officijsq; leuat.  
 illum si qua graui mala fors afflauerit austro,  
 Et rota fortunæ deuisa perdiderit.

illum

\*  
 Adhortatio est, qua munit animos contra scandalū infirmitatis & crucis, est. n. plane idem cum illō Christi Beatus qui in me non offēditur. Hic autem explicat quid sit beatū dici.



Illum restituet Dominus, memor omnibus ipsum,  
 Pauperibus clausas non habuisse manus.  
 Huic Dominus tribuet longæuæ tempora uitæ,  
 Terrenas illo dante tenebit opes.  
 Illius haud unquam dominabitur hostis auarus,  
 Omnia sed uiuus per mala uictor erit.  
 Ille ubi decumbens premet ægra cubilia luctu,  
 Confestim Domini restituetur ope.  
 Tu Deus huic uires sic et sua robora reddis,  
 Ut stratum ipse suum quo uolet omne ferat.

Precatio. Hinc ego sæpe meo gemitum de pectore ducens,  
 Heu miserere, inquam, qui potes ista, mei.

Ratio in qua commemorat afflictiones animæ & corporis. Redde animæ requiem speranti, redde salutem,  
 Quæ peccasse tibi fassa, precatur opem.  
 Qui me odere palam, de me sic sæpe loquuntur:  
 Quando erit ut possit perditus iste mori?  
 Quando erit ut uiuos inter sua nomina perdat?  
 Nec sit posteritas ipsius ulla memor?  
 Et siue introëat, siue egrediatur ad auras,  
 Semper amat de me uerba scelestæ loqui.

Phariseorum consilia contra Christum. In mea concursant inimici damna, minantes.  
 Consilijs uisum perdere posse suis.  
 De me sæpe truces hostili more loquuntur,  
 Surgere iam deinceps, qui iacet, iste nequit.

Iudæ proditoris scelus. Ille etiam quem toto animo constanter amabam,  
 Qui mihi pius alijs uisus amicus erat:  
 Cui mensæ socium tribui communis honorem,  
 Ille tulit partes deseruisse meas.  
 Ille mihi insidias posuit, quibus implicet, ut sit,  
 Quæ premat innocuum noxia pœna caput.

At



PSALTERIUM.

93

At tu nunc miserere animi mala tanta ferentis,  
 Qui solus miserum restituisse potes.  
 Restitue ergo precor, spem redde salutis ademtæ,  
 Hostibus ut possim reddere iussa meis.  
 Hoc erit exemplo quod adhuc tuearis inermem,  
 Si nihil insultet qui fuit ante minax.  
 Quod si simplicitas meruit mea, tolle iacentem,  
 Perpetuo & uultus me statue ante tuos.  
 Laudibus æternos Deus Israël in annos,  
 Innumeris merito concelebrandus erit.

Repetit pre-  
 cationem.

Resurrectio si-  
 gnificatur. Nā  
 sunt indicatiua  
 ista, tu tollis ia-  
 centem & col-  
 locabis me an-  
 te faciem tuam

PSALMVS XLII.

Quemadmodum desiderat Ceruus  
 ad fontes aquarum.

ARGVMENTVM.

Est precatio contra tristitiam spiritus,  
 quæ tum solet oriri, cum pijs antea satis affli-  
 ctis, etiam insultant impij, tanquam a Deo  
 desertis, sicut Iudæi Christo in Cruce. Orat  
 igitur, ut Deus faciem suam ostendat, &  
 contra hanc tristitiam uerbo suo soletur, ha-  
 bet autem additas suaues consolationes.

Quo desiderio Dominum suspiret, & intus  
 Ardeat, hinc Cerui sumta figura docet.  
 Tristitiæ spectris tenebrosa afflictus in hora,  
 Solari uerbo uiuificante cupit.

Vincen



Aptissima simi  
firudine pingit  
affectum suum,  
Narrat enim tē  
rationes, & po  
sca perit libe-  
rationem.

**V**T uagus absentes aspirat ceruus ad undas,  
Ut cursu nimio languida membra leuet.

Omni bus impatiensq; iugis & uallibus errat,

Arida ut inuento pectora fonte riget:

Sic fitit hęc animus uiuum, sua gaudia, fontem,

Sic mea uiuentem mens fitit ægra Deum,

Quando crit ut ueniam & uultus ferar ante beatos,

Ante creatoris numina sancta Dei?

Quæ manant lacrimæ mihi nocteq; dieq; profusæ,

Sæpe meo fiunt lentus in ore cibus.

Dum mihi non cessant sic insultare superbi,

Nunc Deus ille tuus qui medeatur, ubi est?

Hęc mecum reputans, anima uelut exuor ipsa,

Quæ tunc in curas effluit ægra meas.

Quam uellem ex animo, cætu comitante bonorum

Limina diuinæ læta subire domus.

Quam cuperem lætas audire & reddere uoces,

Quæ celebri plausu carmina læta canant.

Quam turbæ comes esse uelim festiua ferentis

Iubila, quæ soli est turba dicata Deo.

Erigit se spe  
mifericordiæ  
diuinæ.

Cur sic mœsta iaces anima ò mea? corda tumultu

Quid mea conturbas anxia facta nouo?

Quin potius confide Deo, namq; ille salutem

Reddet, & hoc grates nomine rursus agam.

Quam sit nunc deiccta animi uis anxia nostri,

Omnia qui genitor conspicis, ipse uides.

Propterea memor ipse tui, tua numina uotis

Suspiro patriæ de regione meæ.

Quam



PSALTERIUM.

95

Quam rapidus multa fecundat Iordanis undā,  
 Qua colles Hermon despicit exiguos.  
 Vasta uorago alia ex alia uelut edita fertur,  
 Murmura dum fluctus insonuere tui.  
 Sed me ceu toto grassantibus aëre nymbis,  
 Tempestatis agens obruit unda tuæ.  
 Nulla dies pietate Dei uacat, ipsius ergo  
 In laudes omni carmina nocte canam.  
 illum omnes iustis precibus uenerabor in horas,  
 Qui Deus est uitæ præsidiumq; meæ.  
 Conquerar, ð nostræ rupes & petra salutis,  
 Mi pater oblitus cur potes esse mei?  
 Tristior & solito cur sum deiectior, hostis  
 Dum miserum, dextram te retrahente, premit?  
 Ossa penetranti ceu uulnerer intima ferro,  
 Sic audita dolet auribus ista meis.  
 Dum mihi non cessat male sanus dicere liuor:  
 Nunc Deus ille tuæ cura salutis ubi est?  
 Cur nunc deprimeris nuper generosa animi uis?  
 Quæ te sic tristem deprimit anxietas?  
 Perfer & obdura Domino confisus, ab illo  
 iam ueniet certo reddida sine salus.  
 Namq; ille est iterum grata mihi mente canendus,  
 Qui Deus est uitæ præsidiumq; meæ.

Descriptio Iuda  
 eæ.  
 Vicissitudines  
 afflictionum :

Consolatio.

PSALMVS XLIII.

Iudica me Deus & iudica causam.

ARGUMENTVM.

Est precatio plane eodem argumento cñ  
 super



superiore. Ac fieri potest, quod in exilio cum ab urbe & templo abesset propter Absolona, hi Psalmi a Dauide decantati sunt.

Proxima quam series hanc rem quoque tractat eandem,

Vix etiam uerbis dissona, Musa breuis.

Optat adire domum Domini duce lumine uerbi,  
Quo bene solari pectora mæsta queant.

Precatio.

**A**sere me, caussamque meam rege, maxime diuum,  
Quæ sine te nullum pondus habere potest.

Eripe me uitamque meam de gente prophana,  
Longe abeat quisquis nomina fraudis amat.

Robore tu siquidem, tu me uirtutibus auges,

Cur, quod uiuificas ipse, repellis opus?

Cur mea tabificus consumit pectora mæror,

Dum miserum tantis cladibus hostis agit?

Verbum uocat  
lucem & ueri-  
tatem quia con-  
solatur & do-  
cet.

Me tua uera fides, & lux purissima ducant

Ad sedem & montis culmina sancta tui.

Ingrediar, supplexque tuam prouoluar ad aram,

Læticiæ constans o Deus aura meæ.

Ingrediar laudesque tuas tua nomina dicam,

Arguta resonans carmina multa Lyra.

Quid luges, fractusque iaces anime optime quondam?

Quid mea conturbas pectora mille modis?

Consolatio.

Erigere ad Dominum qui te tibi reddet, ut illi

Quas iterum grates debeo lætus agam.

PSALMVS XLIIII.

Deus auribus nostris audiuius.

ARGUMENTVM.

Est



Est precatio Ecclesie contra furorem Tyrannorum persequentium eum, ad hunc enim modum citat hunc Psalmum Paulus Rom. VIII. Ac recte hodie oratur non tantum contra eos, qui uerbum oderunt & persequuntur, sed contra Turcam quoque. Initio habet commemorationem preteritarum liberationum, deinde subiicit querelam de dissimili sui temporis fortuna, ac orat, ut propter uerbi honorem uelit iuuare.

Totius hæc populi credentis iusta querela est,  
Se nimis indigna conditione premi.

Spiritus aduersus carnem gemit æger, ab illa  
Sæpe etiam sanctis esse pericla solent.

Vincenti erudiens canticum filiorum Corah.

**C**onditor omnipotens magni Deus arbiter æui,  
Qui sine principio, qui sine fine manes:

Fama uetus nostras de te peruenit ad aures,

Quam nobis nostri præcinnuere patres.

Qualia ab antiquis patrâris facta diebus,  
In quibus ipsorum cognita uita fuit.

Tu pater eiectis stabilisti Gentibus ipsos,

Vertisti ualida barbara regna manu.

Nam si nec gladio patriam peperere cruento,

Laus nec in ipsorum uiribus ulla fuit.

Quin potius tua dextra potens, tua maxima uirtus

Hoc dedit, hinc illis gloria parta fuit.

Victores uenere tui sub lumine uultus,

Namque oculis illi complacere tuis.

G

Tu

Narratio in qua commemorat beneficia Dei ueteribus temporibus edita, facit autem id duplicem ob causam, ut & adorandum sit fortior, & magis urgeat Deum.



Tu siquidem Rex ille Deus quo dante salutem;

Accipiunt Gentes quas Iacobus habet.

Hæc tua beneficia nos quæ in  
similem spem  
uocant.

Te duce deuictos bello delebimus hostes,

Sub pedibus nostris, castra inimica cadent.

Per tua sternemus numerosa nomina Gentes,

Quæ sese audebunt opposuisse tibi.

Nulla meo siquidem mihi spes affulsit ab arcu,

Nec gladio tanquam uindice tutus eram.

Quin potius duce te nostros superauimus hostes,

Quos pndet inuictas non habuisse manus.

Ergo tuas omni peragemus tempore laudes,

Quæ te non celebret non erit ulla dies.

Narratiõni sub  
ijicit querelam  
sed nihil tale  
nobiscum facis.

Cur tamen abiectos nunc deseris optime uindex?

Sic nostri in dubijs immemor esse potes?

Non uires iterum præstas, non robur in hostem,

Prælia nostra tuæ deseruere manus.

Commemorat  
præsentem calamitatem.

Terga coëgisti sæuo dare turpiter hosti,

Qualibus heu facti præda pudenda sumus,

Mactandis similes ouibus nos esse uolebas,

Ludibrio sparsos Gentibus esse iubes.

Hoc est, Gentes  
non uicissim  
dant poenas suæ  
crudelitatis.

Indignis uenum nulla pro merce dedisti,

Actio de nobis nulla parata fuit.

\* Ludibrio nos omnis habet uicinia turpi,

Proxima Gens in nos probra nefanda iacet.

\*  
Aspergit semi  
na argumento  
rum orationi  
secuturæ accõ  
moda.

Nostra profanata subsannant nomina Gentes,

Per populos facti fabula fæda sumus.

Turba sumus populis ignominiosa propinquis,

Nostra uerecundus contegit ora pudor.

Propterea quod probra serunt et iurgia miscent,

Vindictam è nobis qui sibi cunq; petunt.

Cuncta



Cuncta hæc perpetimur, nec te obliuiscimur unquã,  
 Nec tua de nobis fœdera crimen habent.  
 Non est uersa retro nostri meditatio cordis,  
 Nec nisi quam dederas, nouimus ire uia.  
 In loca contritos repulisti fœda draconum,  
 Luce carens nostrum circuit umbra caput.  
 Si nos ulla Dei caperent obliuia nostri,  
 Demus & externo thura precesq; Deo.  
 Num Deus inquirat super hoc & puniat ausos,  
 Omnia qui nostri cordis operta uidet?  
 Aerumnas siquidem patimur te propter atroces,  
 Cladibus asiduis tradita turba sumus.  
 Sicut oues crudi quas ad consepata macelli,  
 Carnificis mactat sanguinolenta manus.  
 Quin exurge pater, quin expergiscere tandem,  
 Cur ceu perpetua stertere nocte uoles?  
 Perpetuo ne nos affligi hostilibus armis,  
 Nec miseris pressos cladibus esse sine.  
 Cur faciem auertis? quid adhuc tua lumina condis?  
 Nec te tristitiæ, nec mala nostra mouent?  
 Nostra quidem depressa animæ uis languida marcet,  
 Mersaq; ceu fœdo puluere uita iacet.  
 Surge fer auxilium deiectis, assere uictos,  
 Si quod es, id uere diceris esse, pius.

## PSALMVS XLV.

Erucltauit cor meum uerbum bonũ.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi, quem pingit tanquam sponsum habentem spon-

G 2 sam

Amplificatio  
indignitatis, re-  
tinemus cultũ  
& uerbum tu-  
um, & tamẽ nõ  
adiuuas nos.

Propter te o-  
cidimur tota  
die.

Precatio.



fam Ecclesiam ex reliquijs Iudæorum, ad quam accedunt Gentes, manifesti hic loci sunt, Regnum Christi consistere in uerbo, nam labia prædicat & sceptrum: Item Synagogam abolendam, quod ad cultus Legis attinget, & Gentes uocandas: Item quod Christus sit Deus, quia præcipit eum adorandum esse. Titulus significat esse ἐπιβαλάμιον de sponso Christo, cui dedit nomen: De Lilijs, sic enim solent Iudæi,

*Præmit hic regnaturum super omnia Christum,  
Cuius in hoc Salomon carmine signa gerit.  
Hic uelut è thalamo uenienti Ecclesia Christo  
Iungitur, & sponso dat pia sponsa manus.*

*Vincenti canticum amorem erudiens, filiorum Corah de Lilijs.*

Propositio seu Argumentum, Psal. de Messia seu Christo canam. Descriptio Regis, habent autem hæc omnia iucundissimam allegoriam regni Christi. Arma. Successus.

**P**ER noua fert animus laudandum dicere Regem  
Carmina, quæ è nostro pectore dictat amor.  
Nunc mea quæ meditor tam promptè lingua loquetur  
Quàm solet accelerans ducere Scriba manum.  
O prælate alijs, ô formosissime rerum,  
Quàm diffusa tuo gratia ab ore fluit.  
Innumeris igitur tua pectora dotibus auget  
Ipse, tuæ ductus laudis amore, Deus.  
Cinge tuum gladio femur orte potentibus heros,  
Ut tua pœniteat gloria laude noua.  
Cuncta tua decori contingant prospera, tanto  
Ornatus fidei lumine, dexter ades.

*Iusticia*



Iusticia ueraq; & mansuetudine cinctus,  
 Ceu proprijs uictor curribus inuebitor.  
 Quæ tu cum facies tua te miranda docebit  
 Dextera, quæ populis facta stupenda dabis.  
 Omnia dura tuæ possunt penetrare sagittæ,  
 Hæ ferient hostis corda superba tui.  
 Regna potens armis uictoricibus omnia sternes,  
 Turba inimicorum sub tua tela cadent.  
 Stabit in æternum tua mi Deus inclita sedes,  
 Recta manent regni scepra ferenda tui.  
 Iusticiæ quia semper amans rectiq; fuisti,  
 Odisti iniustum qui sequerentur opus.  
 Te Deus unguentis uoluit redolentibus unctum,  
 Plus quàm de socijs quemlibet esse tuis.  
 Letificos omnis spirat tua uestis odores,  
 Quales de liquido cortice myrrha fluens:  
 Quales uel casice molles, uel iam noua stacte,  
 Cuius ab expressa gutta parente fluit.  
 Sicubi te profers & eburna palatia linquis,  
 Lumine sunt uultus omnia læta tui.  
 In quibus oblectant te natæ sanguine regum,  
 Dum tibi magnifice suppetit omnis honor.  
 Astitit ad dextram coniux tibi regia, cuius  
 Ex auro mundus principe totus erat.  
 Ausculta atq; aurem præbe mihi recta monenti  
 Filia, & hæc animo uerba reponere tuo.  
 Excidat ex animo stirpis tibi tota paternæ,  
 Ultra nec populi cura sit ulla tui.  
 Sic etenim Regi forma præstante placebis,  
 Quem tuus agnatis ignibus uret amor.

G 3

Ille

Vis Verbi.

Administratio  
 Iuris.

Dona & uirtu  
 tes.

Arces.

Familia.

Sponfa Eccle-  
 sia.

Adhortatio ut  
 omissa Lege &  
 Mose, Christū  
 amplectat Syna-  
 goga. Hæc ma-  
 nifeste signifi-  
 cant abrogati-  
 onem Legis.



Christus Deus Ille etenim Dominus tuus est quem semper adores,  
 Et cui iusta animo supplice uota feras.  
 Vocatio Gen- Quas opulenta Tyrus cunq; est habitura puellas,  
 tium ad fidem Ante tuos ponent munera multa pedes.  
 Christi. Ante tuos stabunt uultus, qui plurima possunt  
 De populo, & soluent debita uota tibi.  
 Filiã exponūt Hęc Regina feret uarios induta colores,  
 Ecclesiam Gen- Culca quoq; interior filia Regis erit.  
 tium, natam ex Ducenda ad Regem Phrygijs in uestibus ibit,  
 synagoge reli- Aurea cui uarium fibula nectat opus.  
 quijs, hanc di- Innuptæ comites aderunt & ponè sequentur,  
 cit interne or- Harum ò Rex ueniet proxima quæq; tibi.  
 natam esse, q̃ Gentiũ Eccle- Carminibusq; & laticia ducentur ouantes,  
 sia non habet Intra magnificæ regia tecta domus.  
 istam ipociem \*Pro patribus Regina tuis tibi diua relictis,  
 culcum exrer- Infruita tuæ nomina prolis erunt.  
 nam, quam ha- \*Inde tuo statues Reges de sanguine natos,  
 buit synagoga Qui tibi terrarum regia scepra ferant.  
 sed cultus eius Ipse tuas laudes totum celebrabo per orbem,  
 est fides & ora- Donec summa aliquod sæcula tempus erunt.  
 tio, q̃ interna \*Ergo tibi omnigenæ dicent præconia Gentes,  
 et cordis sunt. Donec in hoc ibunt limite solis equi.

\* Patres impij  
 Iudæi Christũ  
 repudiant,

\* Doctores in  
 Gentium Ec-  
 clesia,

\* Euangelij fru-  
 ctus,

## PSALMVS XLVI.

Deus nostrum refugium &amp; uirtus.

## ARGUMENTVM.

Est consolatio & gratiarum actio pro be-  
 neficijs Dei, seruantis mirabiliter suam Ec-  
 clesie



eleſtam contra omnes Sathanæ & mundi  
impetus. In fine grauitèr horratur ad hæc  
opera Dei cognoſcenda, & ad gratiarum  
actionem.

Cum uariè totum circumdaret hoſtis Iudam,

Ipſe Deo tutus proſpicente fuit.

Et n. ſui media tuti ſtatione latronum,

Hæc Domino grates lege referre decet.

Vincenti canticum filiorum Corah  
de Iuuenta.

**R**obur & auxilium eſt nobis Deus ipſe repertus,  
Per mala quæ paſſi pernicioſa ſumus.

Non igitur formido iterum nos ulla tenebit,

Terra licet proprio cedat ab acta loco.

Alta licet magni uoluantur in æquora montes,\*

Sæuior irati fluctuet unda maris.

Omne licet ſubitis cumuletur fluctibus æquor,

Culmina præ cuius ſumma furore tremant.

Qui iuſto ueniunt modici de ſumme riui,

Sacra Deo dulci mœnariore leuant.

Flumina lætificant habitacula ſacra tonanti,

In quibus ipſe ſedens interiora tenet.

Viribus iccirco non deturbabitur ullis,

Nam Deus ipſius mane tuetur opes.

Multa fremunt Gentes, regna incuruata tremiſcunt,

Ipſius ad uocem tabuit omne ſolum.

Auxilio nobis Deus eſt fortiſſimus omni

Tempore, qui Deus eſt magne Iacobe tibi.

G 4

Huc

Læta uox exul  
tantis cordis  
ob præſentiam  
Dei. Eſt autem  
enthymema,  
primo minorẽ  
poſt concluſi-  
onem ponit.

\*  
Amplificatio  
periculorum,  
quæ ad ampli-  
ficationem au-  
xilij facit.

Cõtra Gentes  
quæ Deum hunc  
nõ habent, et-  
iamſi multũ co-  
nenẽ, peribũt.



Exhortatio ut  
Ecclesia agno  
scat hanc Dei  
benignitatem.

Huc agite, ite, Dei spectantes facta per orbem,  
Tam cito qui totum tam loca uasta dedit.  
Hic si quando uolet bellum de Gentibus aufert,  
Vsq; sub extremas, ultima regna, plagas.  
Præualidos arcus & acutas conterit hastas,  
Currus & celeres concremat igne rotas.  
Desinite, & solum esse Deum me discite, cunctis  
Gentibus, & cunctis terribilem populis.  
ἐπιφώνημα Causa Deo curæ nostra est uirtute potenti,  
Auxilio nobis est Deus omnipotens.

## PSALMVS XLVII.

Omnes populi plaudite manibus.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi per Euan-  
gelion constituendo: Ac meminit cultus no-  
ui testamenti, ut Deum per prædicationem  
uerbi laudent, quod uerbum etiam princi-  
pes Gentium sint amplexuri, & futuri popu-  
lus Dei Abraham. Quare manifestus hic er-  
ror Iudæorumprehenditur, qui de arca  
in domum Domini deportata exponunt.

Qua sit ouans pompa Rex ascensurus in altum  
Christus, & in caelum compositurus iter.  
Hic Rex non armis, uerbo tamen omnia uincet,  
Vt ueterem strarunt Hierichunta tubæ.

Vincenti Psalmus filiorum Corah.

Propositio.  
Gaudete.

**E**Dite festiuo populi noua gaudia plausu,  
Lætaq; gratifica iubila uoce sonent.

Regnat



Regnat enim Dominus sublimis & omnia terrens,  
 Qua terrarum aliquid sidera cunq; uident.  
 Subiecit populos nobis non ante fideles,  
 Sub pedibus nostris plurima regna dedit.  
 Hæredes regni statuit nos, gloria magni  
 Qui sumus Isacidæ, cuius amicus erat.  
 Carmine iubileo Deus est euectus in altum,  
 In sua terribilis nubila uoce tubæ.  
 Dicite nunc præana Deo, nunc dicite laudes,  
 Ferte Deo regi carmina, ferte Deo.  
 Rex etenim Deus est terræ omnia regna gubernans,  
 Huic canite excultos, quo decet ore, modos.  
 Imperium Deus in Gentes rex obtinet, idem  
 Qui Deus in sanctæ sedis honore sedet.  
 Summisere Deo terræ sua regna Tyranni,  
 Magnanimum Thariden quem coluisse ferunt.  
 Nam super & proceres, & maxima nomina terræ  
 Altior, haud ulli scepra tenenda tenet.

PSALMVS XLVIII.

Magnus Dominus & laudabilis.

ARGUMENTVM.

Est plane idem argumentum cum Psalmo quadragesimo sexto: Commemorat enim beneficia, quæ Deus præstitit suo populo, cum Hierosolymam seu Ecclesiam & cultum suum defendit & seruauit contra hostium uarios imperus. Hæc exempla nos quoq; consolantur, futurum ut Ecclesiam suam seruet Deus.

G 5      seruâs

Narratio, quæ exponit causam propositionis, qd Christus in mundo per Euangelion potenter regnet.

Hebraice est: Psallite sapienter. Sicut Paulus iubet, recte secari uerbum Dei. Abraham filius Thare, Genes XI.



Seruârat Solymas cinctus hostilibus armis,  
 Et bellum à cara reppulit urbe Deus.  
 Nos quoq; seruabit quos cinxit iniqua tyrannis,  
 Si simus, quales nos decet esse, pij.

Canticum Psalms filiorum Corah.

Gratiarum actio  
 qui inseruit de  
 descriptione loci

**M**agnus, & eximio Dñs cumulandus honore est,  
 Qua sita sunt nostro mœnia sacra Deo.

Commemorat  
 beneficium li-  
 berationis.

Pulcra situ regio, rupes per amœna Sionis,  
 Illa decus terræ totius esse potest.  
 Cuius Parrhasiæ quod sidera prospicit ursæ,  
 Sacra, latus, magni mœnia regis habet.  
 Cuius in eximijs notus Deus ædibus aulæ:  
 Tecta salutifera protegit ista manu.

Collatio cum  
 veteribus mira-  
 culis.

Conuenere simul reges, atq; ista uidentes,  
 In non proposita præteriere uia.  
 Talia mirati postquam tam magna fuerunt,  
 Ipsorum pavidus perculit ossa stupor.  
 Perculsi stupuere metu, sensere dolores,  
 Quales parturiens ferre puella solet.

Redit ad grati-  
 arum actionem

Tu uada sulcantes Neptuni cœrula naues,  
 Conteris imbriferi sæpe fragore Noti.  
 Omnia quæ nostris audiuius auribus olim,  
 Hæc & in hac oculis uidimus urbe Dei.  
 Hæc & in urbe Dei sancta conspeximus ipsi,  
 Hanc & in æternos dirigit ipse dies.  
 Te Deus expetimus, tibi clementissime soli,  
 In medio templi soluimus ora tui.  
 Ut tua maiestas, sic & tua cognita laus est,  
 Finem ubicunq; aliquem maximus orbis habet.

Iusti



Iusticiam dextra, ceu cornu diuite spargis,  
 Nam quaecumq; facis, non nisi iusta facis.  
 Exultet, letosq; Sion se uertice tollat,  
 Iusticiat exultat letus iuda tua.  
 Cingite circum ipsam cœtu ueniente Siona,  
 Et numero turres illius erigite.  
 Ipsius attento cognoscite pectora muros,  
 Quàm sint & celsæ recta superba domus.  
 Omnia ut hæc memori fama referantur, & olim  
 Possit posteritas hic & ubiq; loqui.  
 Quod fuerit nobis Deus hic, & solus, & omni  
 Tempore, quod sit adhuc noster & ipse Deus.  
 Hic nos à primis seros deducet ad annos,  
 Qualiter institui prima iuuenta solet.

## PSALMVS XLIX.

Audite hæc omnes Gentes, auribus.

## ARGUMENTVM.

Est idem argumentum cum Psalmo trigesimo septimo. Consolatur enim contra scandalum hoc, quod impij florent, pijs autem abfiguntur. Habet Psalmus certum locum de resurrectione piorum ad uitam æternam.

Degeneres luxus, & opum perstringit auaros,  
 Numina qui Pluti nil nisi cæca colunt.  
 Ergo Deo soli considerare summa bonorum est,  
 Spes in diuitijs ponere, summa mali.

Vincere.

Exhortatio subiecta gratiarum actioni, in qua hortat non solum ad gratiarum actionem erga Deum, sed ut singuli pro suo modo Ecclesiam adiuuent. Nam quod hunc locum sic reddunt: Sollicite custodite muros eius, & exaltate palatia eius. Sed alij eo referunt ut cognoscant Dei presentiam sic euentis Hierusalẽ, & pro eo gratias agant.



Exordium in q̄  
facit attentos  
auditores.

**P**ercipite hæc omnes animis atq; auribus æquis,  
Quicunq; incolitis terrea regna uiri.  
Tam de plebe sati, quàm nobilitate superbi,  
Seu nos paupertas, seu comitantur opes.  
Verba loquar uobis animo à sapiente profecta,  
Nec fatui cordis quæ meditabor erunt.  
Abdita deductis ænigmata uersibus edam,  
Scitaq; non uano pectore uerba loquar.

Propositio. Ni  
hil mouear fel  
citate medum  
aduersariorū  
& meis calami  
ratibus, subij  
cit autem ratio  
nem quia quan  
tumuis isti abū  
dāt opibus, ta  
men morientur  
tandem.

Cur metuam fato rerum deprehensus iniquo,  
Si mea turbinibus fluctuet icta ratis.  
Sunt qui diuitijs nimijs nitantur, & audent  
Credere perpetuas quas uenerantur opes.  
Cum tamen hinc auro fratrem non liberet ullus,  
Nec precij quisquam placet honore Deum.  
Et nimis est animæ preciosa redemptio, ut ipsum  
Perficere haud ullo tempore possit homo.  
Complures etiam si uiuere detur in annos,  
Nec uideat uiuo facta sepulcra sibi.  
Interitu pereunt sapiens & stultus eodem,  
Nec refert posito funere præstet uter.

Aliud incōmo  
dum impiorū,  
quod opes nō  
secū auferent.

Omnia at ista manus rapient hæredis auaræ,  
Quæ bona uiuentes constituere sibi.  
Nec quicquam referent secū, sed cuncta relinquent,  
Atq; inopes Stygij principis arua petent.

Repetit primā  
rationem.

Stent licet immenso fundata palatia cultu,  
Ducturæ finem non uideantur opes.  
Magnificas habitent ædes, & magna relinquant  
Nomina, posteritas quæ meminisse queat.

At



At non mortales hac in ditione manebunt,  
 Sed simili brutis conditione cadent.  
 Stulticiæ illorum talis uia, talibus actis  
 A sera inueniunt posteritate decus.  
 Sicut oves nigri recubant ad limina Ditis,  
 Comoda carniuoræ pabula mortis erunt.  
 At iusti reprobæ ducent de gente triumphos,  
 Quam subito exortæ tempora lucis erunt.  
 Illorum decus & uirtus & forma peribunt,  
 Et domus inferni regia Ditis erit.  
 Me uero accipiet Deus & solabitur ægrum;  
 Nec fera Persephones regna uidere sinet.  
 Ne mireris, opes si quem cumulasse uidebis,  
 Cui uelut ex pleno gloria fonte fluat.  
 Nam secum moriens nil auferet, aëre cassum  
 Gloria tantarum nulla sequetur opum.  
 Huius enim tantum uitæ quæsitæ uoluptas,  
 Ipsius est animo grata & amica quies.  
 Tu quoq; si requie tete oblectaueris ista,  
 Hoc isti fatuo nomine gratus eris.  
 Scilicet ipsius ut patrum mala facta sequaris,  
 In quibus est uerum luminis esse nihil.  
 Quisquis laude fuit præstans & honoribus auctus,  
 Dona nec apposita talia mente tulit:  
 Pessimis pecori est, & egenti pectore bruto,  
 Quæ manus exitio mortis auara dedit.

Psalmus

Tertia ratio,  
 impij in morte  
 manebunt.

Nunc  
 ἄντιθεσίῳ  
 addit quod pij  
 afflicti libera-  
 buntur, primo  
 ab istis afflicti  
 onibus.

Secundo, etiam  
 contra mortem  
 habebunt præ-  
 sidia, nã loqui-  
 tur de resurre-  
 ctione ad uitã  
 æternam.

Ἐπιφώνημα  
 Opes etiã exi-  
 tio sunt, nisi ac-  
 cedat animus  
 pius & Dei ti-  
 mens.



## Deus Deorum Dominus Iocut.

## ARGVMENTVM.

Est prophetia de inuulgando Euangelio & abolenda Lege cum sacrificijs & omnibus cultibus. Habet autem grauissimas adhortationes & comminationes, ut posthabita Lege & iusticia Legis, misericordiam amplectamur in Christo exhibitam. Quod ad titulum attinet, Asaph unus ex cantoribus fuit, primo Paralipom. cap. XV. & XVI.

Quæ sacra uera Deo placeant, quis cultus, ut omnes Impia prætextu religionis agant.  
Reddere uota Deo non ista monastica, uerum Quæ sint sola Deo persoluenda, docet.

Psalmus Asaph.

Facit attentos.  
Deus loquetur  
ergo accipite  
verbum eius.

Definit locum,  
Id uerbum ex  
Hierusalē orie-  
tur, non ex Si-  
nai & deserto  
sicut Lex.

\*  
Ut liberet a  
morte & pec-  
cato.

**R**EX superum princeps fortissimus ille Deorum,  
Incipiet tandem uerba tremenda loqui:  
Cuncta ut conueniant terrarum regna uocabit,  
Regia qua fines utraq; solis habet.

Magnifica clare fulgebit ab arce Sionis,  
Et decor & facies, & noua forma Dei.

Et uirtute potens, & maiestate uerendus  
Adueniet, deinceps nec taciturus erit.

Omnia fastatrix ante ipsum flamma cremabit,  
Ipse etiam ualido turbine cinctus erit.

Excelsa è solio cælum terrasq; uocabit,  
\* Ut populi causam iudicet ipse sui.

Conuoca



PSALTERIUM.

Convenient quicunq; colunt mea fœdera sancti,  
 Plusquam sacrificæ conditionis opus.  
 \*Ipsius ingentes cœli præconia dicent,  
 Ut nihil hoc Gentes iustius esse sciant.  
 \*Huc agere uerte tuas mea gens, dñi colloquor aures,  
 Quæ loquar, Israël percipe uerba, tibi.  
 Contestabor enim tecum Deus ipse Deorum,  
 Quod tibi qui nunc sum sic Deus esse ferar.  
 Non sacra arguerim quæ tot mihi dona per aras  
 Sanguine fumantes, exhibuisse soles.  
 Nam tua me coram toties holocausta feruntur,  
 \*Quorum nec ratio est ulla probanda mihi.  
 Ne mihi mactaris uibrantes cornua tauros,  
 Sanguinis hircorum nausea facta mihi est.  
 Omnia enim totis mea sunt animalia siluis,  
 Pastaq; per montes nullia cuncta gregum.  
 Omnes cognoui uolucres per mane uolantes,  
 Omnis et agrestis bestia nota mihi est.  
 Quod si me queat ulla fames apprehendere, tecum  
 Nil opus iudicio nominis huius erit.  
 Nam mihi multiplicis deseruit machina mundi,  
 Quicquid et hæc extra, quicquid et intus habet.  
 Nunquid carne aliqua taurorum uescar opima?  
 Pocula ne hircorum sanguine plena bibam?  
 \*Sacrificæ Domino meritæ præconia laudis,  
 \*Ne uoti possis immemor esse tui.  
 Hæc faciens in rebus opem me tristibus ora,  
 Ipse feram, quo me magnificare queas.  
 \* Sic habemus uotū Baptismi unicum, ac nota qd inter  
 cultus numerat inuocationem, ea q; testatur, sicut grati  
 arum, actio gratuitam misericordiam, non dignitatem aut nascere Christi  
 meritum nostrum.

iii Adhortatio ut  
 Verbum Euan  
 gelij & grati  
 tam misericor  
 diam pluris fa  
 ciant, q Legem  
 & Mosen.

\*  
 Id est, ubiq; p  
 dicabitur iusti  
 cia fidei.

\*  
 Obiurgatio Sy  
 nagogæ urgen  
 tis & mordicus  
 retinetis sacri  
 ficia & legē cō  
 tra ybū gratiæ

\*  
 Manifestæ fen  
 tentiæ de abro  
 gatione Legis,  
 & contra pro  
 pria merita &  
 iusticiā operū  
 coram Deo nā  
 sacrificia non  
 uult sine fidu  
 cia misericor  
 diæ in Christo

\*  
 Hic exponit  
 q̄s cultus uere  
 requirat. Nam  
 sacrificia certi  
 tēporis erant,  
 & pertinebant  
 ad externā Rei  
 pub. formā in  
 hoc populo re  
 tinendā donec  
 Non itus.



Non ita cum reprobis Deus, ad quos ista loquetur.

Impie cur profers fœderis acta mei?

Quid de lege mea declamas ore profano?

Non hoc officij debuit esse tui.

ὄντιθεσις.

Cum tamen et mores et leges oderis æquas,  
Et uerbi officium negligis omne mei.

Fœdera sacrilegis cum furibus iſta ſubiſti,

Crimine adulterij perdita uita tua eſt.

Ore loquebaris spurciſſima uerba pudendo,

Lingua tua immodica prædita fraude fuit.

Aduerſus fratrem frater mala multa locutus,

Cui quacunq; potes parte nocere, noces.

Talia cuncta uidens tacui, cum forte putares

Me ſimilem fieri poſſe profane tibi.

Sed te iuſta manet pro tali pœna reatu,

Ante oculos ſtatuum præmia digna tuos.

Talia nunc ſaltem cognoscite uerba profani,

Qui ueſtri oblitum creditis eſſe Deum.

Ne forte iratus rapiam cum nulla ſuperſit

Certa ſalus, uobis nec ferat ullus opem.

A quocunq; mihi mactabitur hoſtia laudis,

Huic mea magnifice eſt gloria culta ſatis.

Atq; hæc ipſa uia eſt, per quam ueſtigia ducam

Illius, ut ſaluis poſſit ad eſſe, Deo.

Epilogus qui ſummam Pſalmi complectit, q̄ ſacrificat laudem, non hoſtiæ, ille honorat me, & hæc uia eſt ordinata, qua oſtendo ſalutē Domni.

PSALMVS L.

Miserere mei Deus secundum.

ARGVMENTVM.

Inſignis oratio pro remiſſione peccatorum. Confirmat autem ſuperiorem Pſalmum



num, nam cum rogat remissionem peccatorum, significat eam gratuitam & solius misericordiae Dei esse. Idem significat cum promittit sacrificium laudis, gravissime autem docet de magnitudine & causa peccati, ac nostra infirmitate contra peccatum.

Quae sit origo mali, quae vis, quae damna, parentum  
Intulerunt stulta poma resecta manu:  
Ad ueniam reditus pateat quis & unde paretur,  
Pectoris hic pura simplicitate docet.

Vincenti Psalmus David, cum uenisset ad eum Nathan Propheta, postquam ingressus fuerat ad Bathsebam.

**S**vmme pater, qui scepra tenes altissima rerum,  
Cuius & hoc tantum dextera claudit opus:  
Cuius magna preces clementia nullius unquam  
Reppulit, haud falsa uoce rogantis opem.  
Respice me nimia peccati mole grauatum,  
Mole, sed immensum pondus habente, premi.  
Et nunc illa tua subeat miseratio menti,  
Qua tibi fidentes saepe leuare soles.  
Nunc opus esse tuum misereri quaeso memento,  
Quando hic heu nimium quod misereri habes.  
Nam miser agnosco patratae eriminae culpae,  
Quae cruciant animum nocte dieq; meum.  
Quicquid id est, tibi peccatum est mitissime soli,  
Ab pudet, & certe quate fit ipse uides.  
Curego sustinui tales offendere uultus,  
Qualibus est uerum mitius esse nihil?

Nota, solam misericordiam Dei sibi proponit propter quod orat.

Propositio.

Ratio, non a sua dignitate, aut meritis, sed ab indignitate: miserere quia peccavi.

H

CHR



Cur tua non ueritus praesentia numina? cur te  
 Peccator toties aspiciente fuit?  
 Scilicet ut constet, uel iniquo iudice, uerum  
 Quicquid adhuc usquam lingua locuta tua est.  
 Ut uincas quicumq; in se confidit, & audet  
 Te uelut intenta lite mouere reum.  
 Nam peruersa hominum ratio te iudicat, & se  
 Damnae maculae credit habere nihil.  
 Ergo age se miserum miserere fatentis, & aegrum,  
 Quos nisi tu, morbis, nemo leuare queat.  
 Namq; quid addubites? totum me facta malorum  
 Vita relegatum corporis huius habet.  
 Peccatū nobis ingeneratur. Nec nouus hic dolor est primū hoc mihi uirns adhæsit  
 Tempore quo matris iam rude pondus eram.  
 Secunda ratio, tuū uerbū pro- Vsq; adeo nihil est in me quod dicere possis,  
 mitit miser- Naturæ uitium non rapuisse meæ.  
 cordiam, ergo Sed quia tu uerax, quia ueri es amator & æqui,  
 miserere, nā ue- Illius & merito nomen & huius habes.  
 ritas & sapien- Illius & merito nomen & huius habes.  
 tia sunt fiducia Nota mihi pietate tua sapientia facta est,  
 misericordiae Abdita quæ semper corda superba latet.  
 & cognitio mi- Me pater hyssopi si dulci asperseris herba,  
 sericordiae dei Sicut lustrali flumine mundus ero.  
 gratuita per- Laueris heu nimia fœdam putredine mentem,  
 Christum. Iam mihi qui certet cum niue candor erit.  
 \* Urget petiti- Quod si forte meas dignabere uocibus aures,  
 nem, & ampli- Delicias animi quæ peperisse queant.  
 ficat, lætifica- \* Iam contrita nouo reparaueris ossa uigore,  
 cor, remitte- Nullius in hoc iterum pectore languor erit.  
 peccatū, da pu- Nunc auerte tuos illos, quibus omnia, uultus  
 rū cor, da spi- Cernis, & aut recreas, aut uelut igne quatis.  
 ritum certū & nouum &c.

Nunc



Nunc illos auerte precor, ne crimina cernant,  
 Ne uideant animæ uulnera tanta meæ.  
 Interea resouens mea uulnera, dele quod in me  
 Congestum sceleris perfidus hostis habet.  
 Mortifera immundi contagia pectoris aufer,  
 Et puri dotes cordis habere iube.  
 Rectus in hoc habitet mihi corpore spiritus, illum  
 Tu pater à ueteri conditione noua.  
 Heu mihi si facie miserum auersante repellas,  
 Nec liceat uultus ante stetisse tuos.  
 Quod te ne facias per te precor, altera non est,  
 Quæ faciat nostras caussa ualere preces.  
 Sed neq; me fugiat sotor tuus ille bonorum,  
 Qui nisi cum sanctis spiritus esse nequit.  
 Quo sine nulla salus animæ sua crimina fassa,  
 Quo si destituar munere, nullus ero.  
 Bia, age, securæ ne subtrabe gaudia mentis,  
 Saluificumq; tuæ redde salutis opus.  
 Spiritus absit agens & liber in omnia mecum,  
 Hoc me perpetuum robur habere sine.  
 Hoc doctore uias per me sciat impius omneis,  
 Per quas iusticiæ est summa petenda tuæ.  
 Tunc sua peccator noscens malefacta superbus,  
 A te nunc humili uoce rogabit opem.  
 \* O mihi qui solus Deus es saluator, & idem  
 In manibus nostræ iura salutis habes:  
 Erue me meritæ de pœna mortis, & ultra  
 Sanguinis effusi ne reus esse ferar.  
 Sic mea iusticiamq; tuam laudesq; sonabit,  
 Quamuis nulla satis lingua referre queat.

Rectum uocas  
 pure inniten-  
 tem misericor-  
 diæ Dei.

Gratiarū actio  
 quam facit du-  
 plicem, quod  
 misericordiam  
 Dei prædicare  
 & de ea etiam  
 alios docere  
 uelit.

\*  
 Redit ad preca-  
 tionem.



Tu dabis eloquio uenam meliore fluentem,  
Laxato grauius tu dabis ore loqui.  
Ut tua per cunctas præconia dicere Gentes,  
Ut possim laudis nuncius esse tuæ.

Ἐν τῷ θεοῖς. Prædicabo mi  
fericordiam tu  
am, nam alia sa  
cra seu cultus  
non curas. Nam neq; thure dato positas placaris ad aras,  
Victima nec structo te mouet ulla rogo.  
Te tamen hoc ipso ueneratus honore fuissem,  
Si uelles ista relligione coli.

Nunc tibi nulla magis cordi sunt sacra, nec ullum  
Gratius est anima se cruciante sacrum.  
Nec tu despicias afflicti munera cordis,  
Commoda quod sine te nulla quietis habet.

Orat iam pro  
tota Ecclesia,  
ut eam Deus in  
cognitiōe pec  
cati, & fiducia  
misericiordiæ  
feruet, hæc e-  
nim sacra Deo  
sola grata esse. Nunc age fiderei summo de uertice cæli,  
Placata miseram fronte Siona uide.  
Ut laceras iterum Solymas sua mænia cingant,  
Ne tibi delectæ concidat urbis honor.  
Tunc tibi sacra pio pro munere iusta dabuntur,  
Quæ tu sola probas, quæ tibi sola placent.  
Tunc tibi gaudebunt pingues holocausta per aras,  
Et uitulos templis imposuisse tuis.

## PSALMVS LII.

Quid gloriaris in malicia, qui po-  
tens es, &c.

## ARGUMENTVM.

Habet hic Psalmus grauisissimam infecta-  
tionem & comminationem contra Tyran-  
nos & Ecclesiæ hostes. Consolatur autem  
pios quoq; , quod Deus eos sit seruaturus,  
histo



historia, quam titulus allegat, est I. Samuelis  
capite XXI.

*Prodidit in fontem pastor Dauid a Doëgus,  
Sed frustra, quoniam stant rata iussa Dei.  
Sic hodie infamant oracula sancta profani,  
Sed frustra, quoniam qui dedit, ista tenet.*

Vincenti Psalmus Dauid erudiens, cum uenisset Doeg  
Aedumæus, & annunciaffet Saul, atq; dixisset  
ei, venit Dauid ad domum Abimelech.

**I**mprobe crudeli quid in impietate superbis,  
Fortia qui multum iura potentis habes?

Insectatio.

Confisus bonitate Dei qui talia iactas,  
Quorum lux ueniam non feret ulla tibi?

Perniciem tua lingua nocens meditatatur, acutum  
Ceu ferrum, ueri nescia, fraudis amans.

Pessima quæq; bonis præfers, mendacia ueris,  
Nec tibi iusticia est, nec tibi nota fides.

Quare etiam te lingua nocens Deus atteret, ut iam  
Non uideare aliquo posse manere loco.

Comminatio.

Eruet ab radice tuæ sata robora stirpis,  
Et super in uiuis nec tibi nomen erit.

Talia deinde pÿ spectantes facta stupebunt,  
Cumq; leui risu talia uerba dabunt.

Consolatio bonorum.

Ecce uirum spreuisse Dei uim roboris ausum,  
Sed confisum opibus diuitijsq; suis:

Quiq; uidebatur sibi plurima posse, quod esset  
Pernicie sola dexteritate potens.

Ipsæ autem similis uiridanti semper Oliuæ,  
Quæ sit diuinæ pars quotacunq; domus.

Insignis collectio.  
Per

H 3



*Perpetua in bonitate Dei spem semper habebō,  
Nec mihi spes istas finiet ulla dies.*

*Gratiarū actio Perpetuo meritas referam tibi tempore grates,  
Nam mihi tu magni muneris autor eras.  
Tutior inde tui degam sub nominis umbra,  
Quod quisquis bonus est, laudat, honorat, amat.*

## PSALMVS LIII.

*Dixit insipiens in corde suo non  
est Deus &c.*

## ARGVMENTVM.

Quod ad argumentum attinet, est plane idem Psalmus cū quartodecimo. Habet autem titulum alium, nec sane inter interpretes de eo convenit, quidam existimant uocabulum מַהֲלַת מַהֲלַת significare, quod in choro alternis sit decantatus, sed Abenezra putat esse initium carminis, secundum cuius numeros hunc Psalmum cecinerunt. Alij instrumenti nomen esse putant.

*Absq; fide quæcunq; facis, facis omnia frustra,  
Quantumuis bona sint quæ facis absq; fide.  
Hæc toties tibi Psalmographi uox magna reclamat,  
Nec tamen hæc audis Romule surde, caue.*

Vincenti canticum Dauid erudiens in Mahelath.

Gravis huma-  
næ naturæ in-  
fectatio.

**V**sq; adeo quosdam rabies agit impia, ut ausint  
Dicere, qui uideat, non superesse Deum.

Exc.



Execrabilibus perierunt cladibus omnes,  
 Prodigia quos miseri uita laboris habet.  
 Omnipotens humiles prospexit ab æthere terras,  
 Humanumq; sua uidit ab arce genus.  
 Extot an inueniat sapientem millibus unum,  
 Qui curet superos & putet esse Deum?  
 At retro stolidis abierunt passibus omnes,  
 Pests enim miseris omnibus una fuit.  
 Non fuit ex illis quem posses dicere iustum,  
 Qui bene uixisset non fuit unus homo.  
 Num sapient aliquando mali qui sanguine uiuunt,  
 Et populi comedunt corpus & ossa mei?  
 Dummodo quod rodant uentri non desit alendo,  
 Turba creatorem negligit ista suum.  
 Hic ubi non opus est trepidant, ubi nulla necesse est  
 Esse pericla animæ, certa pericla putant.  
 Ossa etenim Dominus dispergit iniqua ferentium  
 Munera, quæ ueræ nil pietatis habent.  
 Hos pudor offendet, Dominus quos damnat, & odit,  
 A quibus auersa est luminis aura Dei.  
 Quis genus Israël saluum dabit, atq; reducet  
 Dispersos populos ad tua templa Sion?  
 Cum Deus exilium conuerterit ipse suorum,  
 Læticia fient omnia plena noua.  
 Tunc genus Israël gaudebit, & ocia ducent  
 Qui de stirpe tuæ sunt Iacobe domus.

Hoc est huma-  
 na natura si sit  
 sine spiritu san-  
 cto, nec timet  
 Deū, nec fidit  
 Deo, nec uelle  
 aut cupere po-  
 test quæ Deus  
 uult & cupit.  
 Præcipue accu-  
 sat doctores le-  
 gis.

Minat impijs  
 doctoribus qd  
 per sanam do-  
 ctrinam his na-  
 turæ malis non  
 medentur.

Consolatio,  
 Christus cum  
 uenerit per Eu-  
 angelion suum  
 medicinam fa-  
 ciet.

PSALMVS LIII.

Deus in nomine tuo saluum me.

ARGUMENTVM.

H 4 Histo



Historia quam titulus ostendit, est I. Samuelis XXIII. & XXVII. Est autem oratio, ut liberet eum Deus a periculo, in quod per prodicionem coniectus erat: ac habet insignes consolationes, quæ in similibus periculis nos erigunt, futurum ut liberemur, & hostes Ecclesiæ pereant.

*Prodiderant miserum Sauli Dauida Siphitæ,  
Sed frustra, probitas uindice tuta Deo est.  
Hos petit ulcisci, quæ nunc & quanta Siphitæ,  
Tot mala committunt, puniat ista Deus.*

Vincenti in melodijs erudiens Psalmus Dauid, cum uenirent Ziphei & dicerent ad Saul, nonne Dauid abscondit se apud nos?

*Propositio, orat autem in fiducia nominis & potētis dei.* **O**mnipotens pro laude tui me nominis ægrum  
Conserua, & misero, nã potes, affer opem.  
Afferre me uirtute tua, dextraq; potenti,  
Et timidus audi, percipe, summe preces.  
*Narrat periculum.* Quando alienigenæ quærunt me perdere Gentes,  
Quæ tua non ulla numina parte colunt.  
*Cōsolatio, Deus exaudiuit me.* En Deus auxilio subiit mihi, sustinet idem  
Ne pereant animæ robora tota meæ.  
*Gratiarū actio* Hostibus ille meis, in me malefacta, rependet,  
Et solita perdet pectora uana fide.  
Tunc tibi grata feram munuscula mente benigna,  
Nominis & laudes de bonitate tui.  
Tu quia de cunctis me cladibus eruis, ut iam  
Risum deuicto prorsus ab hoste feram.

*Psalmus*



## Exaudi Deus orationem meam.

## ARGVMENTVM.

Est oratio in persona Christi contra Synagogam, & proditorem Iudam. Recte autem usurpatur contra falsos fratres, qui Ecclesiæ plurimum eo ipso nocent, quod cum eam extreme oderint, tamen odium illud tegunt simulatis officijs.

Ore aliud præfert, aliud sub pectore condit,  
Quorundam leuium callida uafricies.

Has agitat pestes, hos execratur, at horum  
Quot rogo myriadas tempora nostra ferunt.

Vincenti in melodijs erudiens cannicum Dauid.

**Q**ui tua supplicibus uenerantes numina uotis,  
Audis ætherea mitis ab arce pater:

Propositio pre-  
cationis.

Supplicis exaudi te uerba rogantia serui,  
Nunc animum moueat mæsta querela tuum.

Narrat pericu-  
lum & afflictio-  
nes quas pa-  
titur.

Aspice quàm gemitu fundam lamenta profuso,  
In ueras lacrimas quàm tibi totus eam.

Vsq; adeo insultant hostes urgente tumultu,  
Sic furit in clades impia turba meas.

Nam mihi crimen atrox quærunt obtrudere, nec me  
Præ genuino odio uiuere posse ferunt.

Intima concussi tremuerunt uiscera cordis,  
Et mea ne moriar concutit ossa timor.

Nunc animum metus, & sæuus circumuenit horror,  
Nunc mea letalis pectora terror habet.

H s      O mihi



Vocam quod eleganter pin-  
 git affectum a-  
 nimi conclusi  
 malis.

O mihi nunc uolucres aliquis conneckeret alas,  
 Qualibus in uentos ire columba solet,  
 Protinus euadam qua me non ulla sequentes,  
 Deferat humano semita trita pede.  
 In deserta abeam scuarum lustra ferarum,  
 Grata domus profugo tristis eremus erit.  
 Ocuis effugerem, si forte euadere possim,  
 Has tempestatis me ferientis aquas.

Imprecatio con-  
 tra hostes, ut  
 consilia eorum  
 impediantur.

Scinde age, et infames istorum contere linguas,  
 Vrbs quia flagitijs disidet ipsa sibi.  
 Qualibus illa dies noctesque repleta laborat,  
 Et labor, et tota regnat in urbe dolor.  
 In medio dolus et uana mendacia lingue,  
 Omnis inhumana fraude platea scatet.  
 Quod si structa mihi sit ab hoste calumnia, forsitan  
 Quae non commerui crimina, ferre queam.  
 Si mihi se extulerit supra caput impius osor,  
 Vitarem celeri iussa superba fuga.  
 At tu fide comes duris mihi cognite rebus,  
 O rarum nostrae pignus amicitiae.  
 Tu fidei mecum sanctae secreta subisti,  
 Religio nostri pectoris una fuit.  
 Quo cum sancta domus diuinæ limina adibam,  
 Vnaque laticiae causa duobus erat.

Imprecatio.

Mors auidas uiolenta manus extendat in ipsos,  
 Ad Stygias uiui destituantur aquas.  
 Nam domus ipsorum uitij est plena nefandis,  
 Factio in ipsorum sede maligna sedet.

Consolatio.

Ipse Deo mea fata querar, mea tristia dicam,  
 Ille, ut ferre potest, sic feret unius opem.

MANE



Mane querar, seræ lugebo ad tempora lucis,  
 Effugient medium nec mea uota diem.  
 Audiet & gemitus & uerba rogantia, pronis  
 (Certa fides causæ est) auribus accipiet.  
 Is mihi pacificam præstabit ab hoste quietem,  
 Qui mihi tot studuit noxius esse modis.  
 Audiet, & studia aduersa mala deprimet hostis,  
 Solus in immota conditione manens.  
 Nulla quidem spes est mutari posse malignos,  
 Qui Dominum toties irreuerenter habent.  
 Inicere manus in amantes fœdera pacis,  
 Pacta profanarunt religiosa Dei.  
 Ore ferunt pacem butyro quod mollius esset,  
 Sæua tamen tacito pectore bella mouent.  
 Lenia uerba oleo quouis magis ore loquuntur,  
 Illa tamen gladij fortis acumen habent.  
 Res curasq; tuas Domino committe potenti,  
 Is tua, teq; ipsum, cuncta tenere potest.  
 Ipse loco faciet stabili consistere iustum,  
 Et bona lætificæ pacis habere dabit.  
 Tu pater effuso gaudientes sanguine, tandem  
 In mortis foueam præcipitanter ages.  
 Dimidiæ non illi attingent tempora uitæ,  
 Sed mihi spes in te fixa tenaxq; manet.

Addit in fine  
 insectationem  
 hostiũ & com-  
 minationem.

Insignis doctri-  
 na in omnibus  
 periculis & tẽ-  
 rationibus uti-  
 lis.

## PSALMVS LVI.

Miserere mei Deus quoniam con.

## ARGUMENTVM.

Est oratio pro liberatione ex periculo, in  
 quo



quo fuit, cum exularet. I. Samuel. XX. Vocat autem Dauid se muram columbam, quæ tantum gemitu ostendit dolorem suum: Nam inter exteros non fuit ei tutum loqui.

*Sceptra Palaestini cum quæreret aduena Regis,  
Exul adhuc querula concinit ista chely.  
Hac nos uoce graues contra licet ire tyrannos,  
Qui uerbum Domini qualibet arte premunt.*

Vincenti aureum ornamentum Dauid de Columba muta, inter alienigenas, cum apprehenderent eum Philistæi in Gath.

Propositio precationis.

**S**vmme parens rerum, miserum me respice, cuius Pectora crudeli pressa sub hoste iacent.

Narratio periculorum.

Fortiter insistent, nunquam me affligere cessant,  
Qui calcant animæ colla subacta meæ.

Quoq; magis doleam plures grassantur in unum,  
Qui capiti intentant tela cruenta meo.

At mea dum nimio sunt corda subacta timori,  
Spes opis, & uenice tu mihi certa uenis.

Consolor me quod non mea cupiditate, sed Deo uocante Rex sum.

In uerbo Domini mihi gloria uera manebit,

Vni fixa Deo, spes mea semper erit.

Quæ mihi donec erit, sicut non fracta manebat,

Non hominum metuum prælia, robur, opes.

Artibus assiduis mea uerba euertere tentant,

Nil nisi conantur posse nocere mihi.

Insidijs coeunt mea dum uestigia seruent,

Vt uitæ abrumpant languida fila meæ.

Seruantur quod iniqua patrent, quos ipse sub imas

Inferni iratus præcipitabis aquas.



Fac libeat numerare fugas quas passus oberro:  
 In uacuo lacrimas codice scribe meas.  
 Illarum numerus tibi iam constabit, & harum  
 Qui mihi quàm uellem nunc quoq; maior adest.  
 Tunc hostes mihi terga dabunt, cum te ipse uocabo,  
 Tunc mihi, cognoscam, quod Deus esse uelis.  
 Laus mea sermo Dei, Domini mea gloria uerbum,  
 Hac spe non metuam quid mihi faxit homo.  
 Ad te uota Deus mihi sunt concepta, quod isthæc  
 Laudibus æternis omnia plena feram.  
 Tu quia crudeli seruasti à morte redemptum,  
 Ne caderent nostri per loca fluxa pedes.  
 Ut mihi & ante Deum liceat defigere gressus,  
 In qua uiuentium gloria luce sita est.

Repetit pre-  
 cationem.

Insignis conso-  
 latio, q̄ Deus  
 suoꝝ lacrimas  
 numeret, ergo  
 nō erunt impij  
 perpetuo impu-  
 nes.

PSALMVS LVII.

Miserere mei Deus, miserere mei.

ARGUMENTVM.

Est oratio non dissimilis præcedenti in  
 alio periculo Dauidis, quod est I, Samuelis  
 XXI, & XXIII.

Speluncæ latebris cum delitisset Odollæ,  
 Iniusta queritur se ratione peti.  
 Sic male qui regum nos insectantur in aulis,  
 Vlisci his lacrimis possumus ante Deum.  
 Vincenti aureum ornamentum Dauid, ne periret,  
 cum fugeret a facie Saul in speluncam.

**R**espice fidentem tibi mi Deus, esto benignus  
 Cui sine te non est qui ferat ullus opem.

Propositio.

Cuius



Cuius & alarum defendi spero sub umbra,  
Donec fors abeat cladis acerba meæ.

Ante tuos uultus queror ò altissime rerum,  
Qui mea restituis pristina dona mihi.

Consolatur se  
præteritis be-  
neficijs.

Mittit opem cæloq; uideus opprobria tollit,  
Quæ mihi me perimens intulit hostis atrox.  
Mittit opem, fidei memor & pietatis auitæ,  
Quæ sua naturæ munera solus habet.

Narratio peri-  
culi, quod fa-  
tis tragice pin-  
git aptis simili-  
tudinibus.

Inter anhelantes iaceo ceu præda leones,  
Præda uoraturis dilamanda feris.  
Omnes humano geniti de sanguine, flammis  
Assimiles, dentes ceu fera tela gerunt.

Mobilibus linguas gladijs conferre licebit,  
Vulnere tam feriunt quos uoluere graui.

Exaltare Deus super alta uolumina cæli,  
Laud tua terrarum transeat alta plagas.

Tensa meis pedibus componunt retia, quorum  
Fraude per insidias me uiolare queant.

Qua graditurus eram foveam fodere, sed ipsi  
Sunt capti proprio, quem statuere, specu.

Gratiarum actio  
pro liberatio-  
ne.

Corda parata Deus mea sunt, mea prompta uoluntas,  
Ut psallam laudes, ut tua facta canam.

Nunc exurge meæ decus & pars maxima uitæ,  
O lyra Psalmographi gloria magna tui.

Exurgam matura noui sub lumina solis,  
Tempore quo surget diua pudoricolor.

Per populos tua facta canam, per regna, per urbes,  
Nec laudem tellus nesciet ulla tuam.

Nam tua stelliferum bonitas transcendit Olympum,  
Subdita sunt fidei nubila regna tuæ.

Exalta



*Exaltare Deus super alta uolumina cœli,  
Laus tua terrarum transeat alta plagas.*

## PSALMVS LVIII.

*Si uere utiq; iusticiam loquimini.*

## ARGVMENTVM.

Titulus ostendit esse idem argumentum cum superioribus Psalmis. Orat enim contra Saulem & eos qui ipsum incitabant contra Dauidem, tanquam contra seditiosum. Habet hic Psalmus tres partes: Narrationem seu obiurgationem uehementem aduersariorum, Imprecationem & consolationem.

*Errorẽ quicunq; audet defendere apertum,  
Et nunquam iustis desinit esse minax:  
Torrenti similem uano, fractæq; sagittæ,  
Et flammæ impositis sentibus, esse docet.*

*Vincenti aureum ornamentum Dauidis,  
ne periret.*

**N**Vm precor ô geniti mortali è stirpe, iuabit  
Vos quoq; tandem aliquo tẽpore iusta loqui?  
Nil minus, imo animis uersatis iniqua malignis,  
Designant uestræ friuola facta manus.  
Defluxere mali retro pessumq; abierunt,  
A primo uitæ tempore quisq; suæ.  
Defluxere retro mendacia uana loquentes,  
A primo exortus tempore quisq; sui.

Vehemens obiurgatio. q; fractis criminibus incitarent Saulem.  
Hoc est, peruersi sunt, discesserunt a Deo, & verbo eius.

**Horum**



Illustris simi-  
litudo.

Horum per similes furor est serpentibus atris,  
Tale sub infido pectore uirus habent,  
Corde uenenatum referentes aspida ficto,  
Qui clausas aures, ne capiatur habet.

Imprecatio.

Incantatoris ne uoces audiat, aures  
Obstruit, instantis ne cadat arte magi.  
Illorum dentes pater excute, frange molares,  
Quis bona carni uori rodere cuncta solent.  
Maxillas auidas saeuorum frange leonum,  
Bestia cur miseris dira trucidet oues?

Bellę similitu-  
dines.

Inquantur uelut unda fluens, sua spicula tendant,  
Nec tamen attingant quem uoluerit scopum.  
Cornua tollentis limacis more liquecant,  
Quæ breue ceu gemino pollice tentat iter.  
Sicut abortiuum pereant, quod lumina solis  
Nescit, & uisum corrui ante diem.  
Quam prius in rhamnum spinæ consurgere uestræ  
Possint, de medio has auferet ira grauis.  
Vernantes, & adhuc in primo flore comantes  
Deripiet rapidi turbinis ira rubos.

Consolatio.

At pius ista uidens uindictæ præmia iustæ,  
Gaudia prostrato uictor ab hoste fret.  
Ille suas plantas reproborum in sanguine tinget:  
Quamq; aliqui cupiant, ultio maior erit.  
Tunc dicent homines, sua sunt rata præmia iusto,  
Certe & adhuc iudex regnat in orbe Deus.

PSALMVS LIX.

Eripeme de inimicis meis Deus.

ARGUMENTVM.

Argu



Argumentum ostendit titulus, & historia extat I. Reg. XIX. Orat enim contra Saulem & eius complices, ne possint innocenti nocere. Quidam transferunt hanc orationem in personam Christi, orantis contra impiam Synagogam, ac sane similis euentus securus est Dauidis & Christi hostes, utriusque enim perierunt. Est uehementissima oratio, ideo habet tot repetitiones.

*Historiam spectas? Saulis notat ipsa furorem,*

*Mystica uox Christi rectius esse potest.*

*Iudaeos Christo infidos fore semper, & horum*

*Spargendum toto semen in orbe canit.*

*Vincenti aureum ornamentum Dauidis ne periret, cum*

*Saul misisset, ut custodirent domum & ipsum interficerent.*

**C**um sint qui studeant unum me perdere multi, *Propositiopr e*  
Mi Deus, illorum destrue consilia. *cationis.*

*Eripe me hac de clade malorum, & ab hostibus istis,*

*Qui mihi nescio quo, damna furore parant,*

*Ne noceant fuso qui tantum sanguine gaudent,*

*Et quibus hoc tantum displicet, esse bonos.*

*Insidias mihi namque parant quibus occuper, & sunt* *Narrat pericu*  
*Contra me fortes in statione uiri.* *lum.*

*Non quia peccarim quicquam quod laeserit ipsos,*

*Sed quoniam culpa pectora nostra uacent.*

*Tale nihil merui quo me peruertere tentant,*

*Inque meam properant currere perniciem.*

*\*Surge age in occursum uenias mihi, & aspice quatis*

*Molibus oppugnent insidysque petant.*

*\* Repetit propo  
sitione, & eam  
uarie auget.  
nunc incusan-  
do aduersarios  
nunc imprecam  
do mala.*

I

Nunc



Nunc tu exercituum Deus inuictissime, regna  
 Orbis terrarum uisere cuncta uelis.  
 Tu Deus Israël ne sis pius omnibus istis,  
 Qui, nisi quæ mala fant, nulla probare queunt.  
 Vespertina retro fugiant sub tempora lucis,  
 Mutua deblaterent murmura more canum.  
 Urbis cant magnæ uicos & mœnia circum,  
 Nec profugis aliqua detur in urbe locus.  
 Ceu gladijs etenim labijs ita uerba loquuntur,  
 Hæc qui dicentes, audiat ecquis erit?  
 At qui ludibrio tibi erunt, tu deniq; Gentes  
 Despicies, tellus quas uaga cunq; tenet.  
 Quod si fortè meis sit maior uiribus hostis,  
 Tu mihi præsidium, tu mihi ductor eris.  
 Summa Dei pietas me præuenit, hoc duce uidi  
 Cernere deuicto quicquid in hoste libet.  
 Nec subito extinguas populum, ne obliuia ducant,  
 Quàm tua sit pœnas sumere dextra potens.  
 Quin disperge uagos, errent sine maxime rector,  
 Quo duce me terror nullius hostis habet.  
 Nil nisi iniqua docent, nisi tantum uana loquuntur,  
 Nec sua mutari facta superba uolunt.  
 Tantum crebra suis iactant male dicta propinquis,  
 Concio fallentes neçtere docta dolos.  
 Perge age perge tui reprobos feruoris in æstu,  
 Ne mala sex aliquo digna sit ista loco.  
 Ut Dominum uideant Israëlidos ora,  
 Præterea terræ totius esse Deum.  
 \* Vespere retro abeant humiles, et in urbe uagentur,  
 Et tanquam, iaciant murmura rauca, canes.

\*  
 Hoc accidit ex  
 tincto Saule,  
 Nam regnum  
 familiæ Saul e-  
 reptum est, &  
 tota posteritas  
 eius extincta.

Discus



PSALTERIUM.

123

Discursent epulas ultero citroq; petentes,  
 Nec miseram possint exaturare famem.  
 Tunc se digna ferent uacui ieiunia uentres,  
 Proq; cibo miseri murmura uana ferent.  
 At tibi carmen erit tua magna potentia, dicam  
 Maxima uirtutis nomina mane tue.  
 Quo uelut arce salus mea custodita quieuit,  
 Quo mea quassa malis tempore uita fuit.  
 Perpetuo tua facta canam, laudesq; tacebunt,  
 Da liceat per te, tempora nulla tuas.  
 Tu siquidem mihi sola salus, te uenit ab ipso,  
 Si qua habet hæc pietas pectora, si qua fides.

Gratiarū actio

PSALMVS LX.

Deus repulisti nos & destruxisti.

ARGUMENTVM.

Historia, cuius titulus meminit, est I. Paralipom. XVIII. & II. Reg. VIII. Est autem Psalmus gratiarum actio, quod Deus regnum sub Saule afflictum, multis uictoribus, præsertim autem, uerbo & cultu suo iterum restituit & ornauit. Quare in titulo regnum tam belle excultum, rosæ nomine appellat.

Quod bona pax, quod religio beet inclyta regnum,  
 Publica res quod tot floreat aucta bonis.  
 Pectore & ore refert grates, nos ista canemus  
 Carmina pro salua religione, Deo.

I 2

Vincen



Vincenti aureum ornamentum Dauidis, de Rosa testimonij, ad erudiendum, cum belligeraretur contra Mesopotamiam & Syros de Zoha, cum Ioab reuersus percussisset Edom in ualle Salis duodecim millia.

Querimonia de præteritis calamitatibus publicis, cui addit precatio nem.

**Q**ui uelut abiectos nos, & male grata parenti  
Pignora, reppuleras à bonitate tua:  
Qui nobis iratus eras pater inclyte diuūm,  
Qui tam dispersos passus es esse diu:  
Redde tuam nobis pietatem, redde salutem,  
Quæ sine te nobis nuper adempta fuit.

\*  
Gratiarū actio in qua commemorat præsentia beneficia. Signum seu uexillum, arcam fœderis appellat q̄ sub Saule neglecta fuerat. j. Par. xiiij

Maxima qui stabilis mouisti pondera terræ,  
Cuius erat manibus pars bona fracta tuis.  
Restitue afflictæ languentia uiscera molis,  
Quæ iacet heu nimium uiribus icta tuis.  
Sæpe tuo clades populo & fera bella tulisti,  
Quæ dederas nobis uina pauoris erant.  
\* At noua te ueritis rursus uexilla dedisti,  
Quæ sibi non uana parta tulere fide.

Arcæ restituta. Ut nunc ergo tibi cari seruentur auici,  
Vi dextræ nobis auxiliare tuæ.

Verbum redditum. Ex adyto Deus est diuina uoce locutus,  
Quæ mihi læticiæ uox noua signa dedit.

Victoriæ. Nunc Sichime diuisa caput mihi subdet & omnem  
Vallem Suchotis metiar arte noua.

\*  
Ad gratiarum actionem pertinet, q̄ causam victoriæ ostendit. Hæc omnia, inquit, badeo, non mea uirtute, sed opere Dei mei.

Noster erit Galaad possessio nostra Manasses,  
Mox Ephraim sceptri pars erit ipse mei.  
Dux & doctor erit mihi ad omnia fortis Iudas,  
Subditus imperij nomine Moab erit.  
\* Ipsa tributa dabit palmarum diues Idume,  
Nostra Palæstinæ regio gentis erit.



PSALTERIUM.

138

*Sed quis erit qui me munitam ducat in urbem,  
Ecquis Idumææ ducet ad arua plagæ?  
Tu ne pater qui nos sic auersaris egenos?  
Nec comes armatis in fera bella uenis?  
Auxilium dubijs in rebus egentibus affer,  
Humanum auxilium nil rationis habet.  
Diuino auxilio freti rem deinde geremus,  
Inijciet nostris hostibus ille fugam.*

Precatio.

PSALMVS LXI.

Exaudi Deus deprecationem.

ARGUMENTVM.

Est precatio pro Rege & regno, ut & cultum Dei retineat, & regnum nullis nouis mutationibus perturbetur.

*Orat ut à populo ipse suo Deus arceat hostes,  
Ut Regem meritis augeat atq; fide.  
Publica disidijs ne res laceretur, & erret  
Ipsius à uera religione fides.*

Vincenti in melodijs Dauid.

**S**umme Deum qui templa tenes flammantia cæli, Precatio.  
*Esse tamen presens hic & ubiq; potes.  
Audi quos gemitus imo de pectore fundo,  
Inclina ad timidæ corda benigna preces.  
Clamor ab extremis terrarum fimbis hic est  
Editus, ad sedis limina celsa tuæ.  
Anxia dum nimia formidine corda tremiscunt,  
Dum mea terribilis circuit ossa pauor.*

I 3

Ardua



*Ardua ad æthereæ deduc me culmina rupis,  
Scandere non alia quam ratione queam.  
Spes quia non alia est nisi tu mihi, quo duce semper  
Ceu turri infesto tutus ab hoste fui.*

*Sic uocat lo-  
cum cultus.*

*Ingrediar tua perpetuo tentoria, fidam  
Dum mea magna humeri contegat umbra tui.  
Tu Deus audisti mea uota, & posteritatem  
His tribuis qui te tempus in omne timent.  
Tu dabis in terram longæuum uiuere Regem,  
Ut suus ex anno quolibet annus eat.  
Ille Deo coram per secula cuncta sedebit,  
Fac pietas ipsum dirigat atq; fides.*

*Hic exponit  
quid scriptura  
appeller uota,  
laudare scili-  
cet Dominum*

*Sic tua cantando celeberrima nomina reddam,  
Ut mea pepetuo tempore uota feram.*

## PSALMVS LXII.

*Nonne Deo subiecta erit anima.*

## ARGUMENTVM.

Habet Psalmus duas partes: Prior insignem consolationem & exemplum habet, quod imitemur in periculis, ne sinamus nobis excuti fiduciam & spem opis diuinæ. Altera habet adhortationem, ut abiecta fiducia carnalium præsidiorum, quæ incerta, imo nihil sunt, ueram fiduciam amplectamur, quam Dei omnipotentia & bonitas omnibus promittit. Videtur autem peculiariter notare potentes aulicos, qui dementati præ



di praesenti fortuna, sine ullo metu ea abu-  
runtur ad opprimendos bonos.

Vis uarios dubiae casus euadere uitae?

Vis bene munitus uiuere? fide Deo.

Fallitur humanis si quis confidere rebus

Nititur, ut Psalteris mystica scripta docent.

Vicenti pro Idithun Psalmus Dauid.

**E**T merito, quid enim non hunc tranquilla moretur

A quo anima haec propria iura salutis habet?

Ceu taciturna sedens hunc respicit, hunc expectat,

Qui mihi seruator, qui mihi certa salus.

Sortes ipse meas uelut arx munita tuetur,

Propter hoc lapsu nec grauiore cadam.

Quo tandem usque uiro uos non pudet esse molestos,

Cuius adhuc omnes quaeritis exitium?

Ceu murum fragilem, ceu uulsi fragmina septi,

Quae uix reliquias iam tenuere suas.

Deicere hunc uero labor est hic maximus illis,

Et uelut ex alto trudere ad ima loco.

Illis sola placent mendacia, laudibus ora

Plena serunt, odij pectora uirus habent.

Ipsae utique expectabo Deum tacitusque morabor:

Nam mea nunc ista pendet ab arce salus.

Certa salus Deus est mihi, robur et ardua rupes,

Consistam, lapsu nec grauiore cadam.

In Domino mea certa salus, mea gloria certa est,

Petra inuicta, ualens, spes mea sola Deus.

Erigite ad Dominum spes uestras, fidite in illo,

O populi quotquot maximus orbis habet.

Consolatio  
ego me conso-  
lor fiducia di-  
uini auxilij co-  
rra hostes me-  
os tam poten-  
tes.

Obiurgat eos  
propter studi-  
um nocendi.

Aulica uita.

Redit ad con-  
solationem.

Hortatur alios  
quoque ad simi-  
lem fiduciam  
in Deum.



Hoc coram uestros animos effundite, & alti  
Pectoris affectus, spes rata nostra Deus.

Antithesis, si- Vana est uita hominum, uanæ ludibria Gentes,  
cut spes in De  
um certa est,  
ita fiducia car- Et nil quo ualeant utilitatis habent.  
narium præfidi Si trutinæ dubio ponantur in orbe bilancis,  
orum fallit. Tum genus hoc leuius, quàm nihil esset, erit.

Non animos fallat quæcunq; iniuria uestros,  
Quos sibi uis adigit fidere, fallit, opem.

Omnia sectari uanissima parcite rerum,  
Nec uos commoueat diuitis aura lucri.

Si fluxu rerum uos copia diues mundet,  
Diuitias prono parcite corde sequi.

ἐπιφώνημα Vox audita mihi sepe est diuina loquentis,  
grauissimum. Virtutem summi roboris esse Deo.

Et tibi semper adest pietas, qui digna rependis  
Pro factis, genitor, munera cuiq; suis.

## PSALMVS LXIII.

Deus Deus meus ad te de mane.

## ARGUMENTVM.

Totus Psalmus est querimonia, quod ab  
sita populo & cultu Dei in Hierusalem, ac  
comparat eleganter terram destitutam uerbo  
& cultu Dei, loco deserto, & carenti aquis.  
In fine accusat aduersarios, ac minatur eis,  
qui huius mali causa erant. Recte oratur ab  
ijs, qui per Tyrannos impediuntur, quo mi-  
nus possint uerbum Dei habere.

Explic



Explicat immodicos afflicti pectoris æstus,  
Nempe Dei uerbo se cupientis ali.  
Sic Saulem fugiens per inhospita tristis eremi,  
Tam querula uates uoce rogabat opem.

Psalmus Dauid cum esset in deserto Iudæ.

**O**Mnipotens, rerum sator unice, conditor orbis,  
Quem nisi te, uenerer, quis Deus esse queat?  
Te sequar in primis, ipsum te ante omnia queram,  
Sive eat in tenebras, sive erit orta dies.  
Te uelut agra siti mea mens desiderat, ad te  
Est mea suspirans languida facta caro.  
Donec in his lateo terris arenis eremi,  
Quas neq; fons aliquis, nec riget imber aquæ.  
Sic uelut in templo te contemplant, ut essem  
Virtutem atq; tuæ cernere dignus opes.  
Namq; tuam duco bonitatem hac luce priorem,  
Ergo canam laudes peccatore & ore tuas.  
Te mea lingua canet dum spiritus hos reget artus,  
Extollam palmas laudis amore tuæ.  
Exatiam banc animam precor ut pinguedine multa,  
Ut mea sit laudi lingua soluta tuæ.  
Nocte memor de te somno fugiente loquebar,  
Luce uigil de te lingua locuta mea est:  
Tu mihi saluator, tua me reget alma uoluntas,  
Me totum auxilij proteget umbra tui.  
Te mea suspirat, tibi mens mea semper adhæret,  
Me tua perpetua dextera fulcit ope.  
Alii autem insidijs quærunt me, ut perdere possint,  
Sub terram uiui præcipitanter eant.

I 5

In gla

Querimonia.

Cupio esse Hie  
rosolymis, ubi  
est cultustuus,  
ubi prædicatur  
uerbum tuum,  
& oratur.

Hæc uidentur  
magis esse op-  
tatiua, utinam  
in templo tuo  
te benedicam,  
& tollam ma-  
nus meas.

Πάθη.

consolatur se.

Minatur ad-  
uersarijs.



In gladios recident, & amara morte peribunt,  
Atq; avidis sient præda parata lupis.

Restituar re-  
gno quantum-  
uis nunc miser  
& exul.

Rex pietate Dei fretus gaudebit in ipsa,  
Illius adiurans nomina lætus erit.

Os Deus obstruxit mendacia uerba loquentum,  
Vanus adulator desijt esse loquax.

## PSALMVS LXIII.

Exaudi Deus orationem meam.

## ARGUMENTVM.

Est elegans oratio, instituta contra uirum  
tenra confilia hostium, quos pij & Ecclesia  
semper in mundo habent.

Perfidiam expertus, tum facta inimica suorum  
Saulitarum, humili uoce precatur opem.

Sic & nos orare decet consianter in hostes,  
Qui nusquam nobis non inimica struunt.

Vincenti Psalmus David.

Propositio.

**A** Vdi summe parens mea uerba, hanc pcipe uocem  
Qua queror insidias hostis adesse mihi.

Cuius ad insultus tantos mea pectora muni,  
Ne mea mens trepido uicta timore cadat.

Ne me corripiat deprensus turba malorum,  
Fac aliquo tutum posse latere loco.

Narratio, in  
qua commemo-  
rat periculum,  
& egregie pin-  
git aduersari-  
os.

Qui, tanquam gladios, linguas acuerunt dolosas,  
Quorum sunt grauibus tela parata dolis.

Vt uel ab insidijs feriant quem perdere querunt,  
Qui neq; peccatum, qui neq; crimen habet.

Letise



Letiferas iaciunt neruo stridente sagittas,  
 Et capiti intentant absq; timore meo.  
 Consilia inter sese agitant obnoxia fraudi,  
 Et nisi perfidiae non habitura locum.  
 Nam mihi componunt laqueos, & retia neclunt,  
 Quae nullos hominum posse uidere putant.  
 Insidias toto meditantur pectore, quantum  
 Fraudibus inuentis quisq; ualere potest.  
 Sed Deus & celeres in noxia corda sagittas.  
 Diriget, & subito uulnere percutiet.  
 Ipsis exitium sua friuola lingua parauit,  
 Omnibus ut fierent risus & opprobrium.  
 Omnes ista homines spectantes facta stupebunt,  
 Iam non immemores hoc opus esse Dei.  
 At qui iustus erit Domino confidet, & ipsi  
 Nitens perpetuo tempore latus erit.  
 Et quorum directa Deo sunt pectora uiuent,  
 Haec his perpetuae gloria laudis erit.

Comminatio,  
 malum consilium  
 erit confusio  
 tori pessimum.

Consolatio pi-  
 erum.

PSALMVS LXV.

Te decet hymnus Deus in Sion.

ARGUMENTVM.

Est suauissimus Psalmus: Primi uersus  
 habent gratiarum actionem. Deinde o-  
 rat pro remissione peccatorum, pro con-  
 seruatione uerbi, & pro exauditione. Po-  
 stremo commemorat beneficia Dei politi-  
 ca, quod donet pacem, & benedicat agro,  
 ita ut totus annus sit quasi corona ex be-  
 neficiis.



neficijs Dei connexa. Quidam Psalmum hunc allegorice accipiunt de Regno Christi & nouo Testamento, propter duos uersus: Omnis caro ad te uenit &c. Tu es spes omnium finium terræ, & eorum qui remoti de gunt in Insulis. Non enim huiusmodi prophetiæ raræ sunt, inuolutæ allegorijs.

Qui populo sua uerba suo dedit, ipse tuetur,  
Dat pacem, & frugum tempora larga Deus.  
Quas quotus agnoscit quibus auget dotibus annum?  
Quas canit hic, satis his nullus Homerus erit.

Vincenti Psalmus & canticum Dauid.

Gratiarũ actio

**N**os tua, mundi opifex, cœlestia iussa manentes,  
Spectamus tacito pectore quicquid agis.  
Interea ferimus tibi debita munera laudum,  
Quem decet in sancta laude Sione coli.

\*  
Oratio pro remissione peccatorum.

Nost tibi uota pio persoluimus omnia ritu,  
Et querulas pleno fundimus ore preces.  
Et quoniam precibus sacras placaris ad aras,  
Ad tua templa pater consuet omnis homo.

\*  
Verbum respõdendi recte hic exponitur, pro exaudire, ut fit sententia: responde nobis, seu exaudi nos secundum admirabile iusticiam tuam.

\* Nos tibi plus nimio deliquimus, eia age fassos  
Respice, da ueniam, pande salutis iter.  
Felicem quem tu delegeris, & tibi carum  
Feceris, ut tecum limina sancta colat.  
Ille domus bonitate tuæ satiabitur, idem  
Ibit ouans templi de ditione tui.  
\* Iusticia nobis respondens mira fidei,  
O Deus, ò mea spes, gloria, uita, salus.

Spes



Spes hominum quicumq; habitant regna ultima terræ

Et procul in vasto littora sparsa mari.

Qui ualidos magno fundauit robore montes,

Virtutis propriæ uiribus omnipotens.

Qui fera latisoni compescit murmura ponti,

Et fremitus uasti quos iacit unda maris.

Qui premit insanos populo frendente tumultus,

Agmina qui nutu seditiosa fugat.

Vt timeant quicumq; habitant extrema locorum,

Dum tua mirantes signa stupenda uident.

Te duce læta uia est loca per quæcunq; meantum,

Siue aurora rubes, Hespere siue cadis.

Climata latiuagæ tu respicis omnia terræ,

Quam iugi irriguam fonte uirere facis.

Quam facis omnigena rerum ditioe beatam,

Dulce tuum uarijs flumen abundat aquis.

Sic læta segetes, sic pinguia culta uirescunt,

Per te sic fructus parturit omnis ager.

Frugiferos riguo potas aspergine sulcos,

Gleba tuo cultu nulla iacebit iners.

Imbribus humectans arentia uiscera terræ,

Per te larga suas copia fundit opes.

Quadrifidum uarijs locupletas dotibus annum,

Quas datus è plenis nubibus humor alit.

Sic tua distillant pingues uestigia succos,

Et toties pedibus semita trita tuis.

Deserti loca, dura prius, cultissima fient,

Fructiferi montes iam sua dona ferent.

Innumeri per grata greges uiridantia pascent,

Obsita planicies frugibus omnis erit.

Gratiarū actio  
pro pace.

Pro commodā  
tempestate.

Psalms utitur  
uero corōas,  
ut significet i-  
stam continuā  
uarietatem, qd  
singuli menses  
nouos suos fru-  
ctus terra ma-  
riq; habeant  
per uices.

Tunc



Tunc iucunda nouo sustollent iubila plausu,  
Tunc tibi mortales carmina læta canent.

## PSALMVS LXVI.

Iubilate Deo omnis terra, psallite.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, quod Deus populum & Ecclesiam suam, etsi affligi sinit, tamen non deserat, sed suo tempore potenti manu liberet, sicut in mari rubro liberauit a Tyranno Pharaone.

Sæpe suo populo medicæ iam mortis in hora  
Affuit auxilio non remorante Deus.

Sic & adhuc à morte suos, & ab artibus hostis  
Seruat, ut exemplis omnia plena docent.

Exordium in quo  
hortat ad gratiarum  
actionem.

**L**Æticiæ noua signa Deo date, tollite plausus,  
Qui uariè cultam cumq; tenetis humum.  
Ipsius assiduo celebrantes nomina cantu,  
Gratifica soli psallite uoce Deo.

Narratio in  
qua commemorat  
beneficia Dei  
propter quæ sit  
laudandus.

Dicite terribili meritis super omnia laudes  
Dicite terribilis facta stupenda Dei.  
Hostes uana tui præsumunt omnia, nec sunt  
Robora cuncta hominum uiribus æqua tuis.  
Omnia te magnæ uenerentur clinata terræ,  
Laude tui resonet nominis omne solum.

\*  
Commemorat  
liberationem  
factam in mari  
rubro, cum qua  
confert suitem  
poris singula-  
ria beneficia.

Huc agite ò cunctæ spectatum accurrite Gentes,  
Quæ Deus in cunctis quantaq; rebus agat.  
\*Humida qui magni desiccet marmora ponti,  
Mobile qui certum per mare sternit iter.

Hic



Hic facit ut siccis pedibus maria alta terantur,  
 Innumera hinc nostrum gaudia pectus habent,  
 illius est nullum sortita potentia finem,  
 Ille uidet quicquid maximus orbis habet.  
 Ille humiles alto prospectat ab æthere terras,  
 Surgere qui possit nemo rebellis erit.  
 Nostro grata Deo populi date munera laudum,  
 Gratifica soli psallite uoce Deo.  
 Ille animæ uitam nostræ dedit, ille tuetur,  
 Ne titubent nostros sustinet ille pedes.  
 Sicut ad examen nos nostrâq; facta probasti,  
 Qualiter artifices æra probare solent:  
 Impuleris licet inclusos nos sicut in arcem,  
 Nostra licet multa corpora mole graues.  
 In capite impositos tulimus quos ipse iubebas,  
 Per medias flammâs iuimus & per aquas.  
 Tutamen in multa terram nos dote beatam  
 Eductos, placida uiuere pace iubes.  
 Ergo tui ingrediar sanctissima limina templi,  
 Votaq; persoluam persoluenda tibi.  
 Quorum me damnant labiorum uerba meorum,  
 Tempore quo rebus fors fuit atra meis.  
 Pinguis persoluam sacras holocausta per aras,  
 Cæde tibi agnorum multa rubebit humus.  
 Præterea faciam uitulis & bobus opimis,  
 Et cadet ante aras hostia multa tuas.  
 Huc Domini quoscunq; tenet timor ullus adeste,  
 Vestraq; sit uerbis auris aperta meis.  
 Narrabo quæcunq; Deus mihi fecerit, & quæ  
 Sint ab eo uitæ dona tributa meæ.

Etiam pericula  
 amplificat, ut  
 tanto ad grati  
 arum actionem  
 sint excitatio  
 nes.

Sic uocat figu  
 rate extrema  
 pericula.

Redit ad grati  
 arū actionem.

Publicis bene  
 ficijis subiecit  
 suum exemplū  
 quomodo ua  
 rie sit adiutus  
 a Deo & libe  
 ratus.

Voce



Voce mea quoties ipsum in mea uota uocaui,  
 Visus erat toties maximus esse mihi.  
 Si tamen inueniar mihi conscius esse malorum,  
 Amplius haud nostras audiet ille preces.  
 Nunc tamen exaudi miserum me, & uerba precantis  
 Respice, nec famuli reijce uota tui.  
 Gloria summe tibi, tibi laus Deus optime soli,  
 Qui uacuas nostras non sinis esse preces.  
 Qui miserum pietate tua dignaris, & auges,  
 Verba nec auerso lumine nostra uides.

## PSALMVS LXVII.

Deus misereatur nostri, &amp; bened.

## ARGUMENTVM.

Est precatio pro uerbo Euangelij: In eo enim uere ostenditur nobis facies Dei, hoc est, Christus & ipsa Dei misericordia. Habet autem manifestam prophetiam, quod Gentes sint populus Dei futuræ, & pars Regni Christi: Neque enim eas inuitat ad circumcissionem aut legem, sed simpliciter ad fidem & gratiarum actionem.

Imperium Christi uates canit esse futurum,  
 Quod comitabuntur gratia, pax & amor.  
 Vocem Euangelij procul in Gentes abituram,  
 Non modo Iudeæ regna per arcta domus.

Orat pro fructu uerbi.

**S**it pius & faueat nobis Deus, annuat idem,  
 Lumina nos uultus posse uidere sui.

Ipsius



Ipsius ut totum sit semita nota per orbem,  
 Quamq̄ sit in cunctis Gentibus alta salus.  
 Omnes te populi laudent, tibi seruiat orbis,  
 Omnia sint laudis climata plena tuæ.  
 Omnes exultent populi tibi iubila dicant,  
 Terrarum iudex tu quia iustus eras.  
 Iusticia quia cuncta regas, modereris & orbem,  
 Et quicumq; in eo quæ loca cunq; colunt.  
 Omnes te populi laudent, tibi seruiat orbis,  
 Omnia sint laudis climata plena tuæ.  
 Sit pius & faueat nobis Deus, ut sua tellus  
 Largiflua uberibus semina fundat agris.  
 Exhibeat nobis solitæ pietatis honorem,  
 Quem nostrum merito dicimus esse Deum.  
 Omnia sic ipsum terrarum extrema timebunt,  
 Quem stupet, & mundi machina tota tremat.

Iudicare & re  
 gere est uerbo  
 arguere pecca  
 ta & promitte  
 re remissionē  
 peccatorū, ac  
 sic liberare ab  
 hostib. morte,  
 peccato &c.

## PSALMVS LXVIII.

Exurgat Deus & dissipentur inim.

## ARGUMENTVM.

Est insignis prophetia de regno Christi  
 & Christo, in qua belle describit Regem, seu  
 caput regni, Christum, quod resurrecturus  
 sit, ascensurus ad cœlos, daturus spiritum &  
 dona spiritus, scilicet, Apostolos & Prophe  
 tas, qui per uerbum Sathanam conculcatur  
 ri, & Christo regnum paraturi sint. Addidit  
 etiam de Synagogæ interitu, & abrogatio  
 ne

K ne



Hic super Israël Deus est, hic robora mittet  
 Multa suo populo, laus tibi summa Deus.

## PSALMVS LXIX.

Saluum me fac Deus, quoniam.

## ARGVMENTVM.

Est oratio Christi in cruce & doloribus  
 mortis positi propter nostra peccata. Orat  
 autem liberationem propter totam Eccle-  
 siam, sicut dicit: Non confundantur prop-  
 ter me hi, qui te expectant &c. Synagogam  
 autem execratur & abiicit. Quia autem sin-  
 gularis prophetia est, fecit titulum Psalmi de  
 Lilijs & Rosis.

Ceu Christus metuens obeundæ uulnera mortis,  
 Vaidico Psalter hæc pius ore canit.

Qua de morte locus non est expressior alter,  
 Vt prædicta satis fel & aceta docent.

Vincenti de Lilijs David.

Precatio seu  
 propositio.

**O** Deus huc saluator ades damna ultima passo,  
 Omnibus auxilio qui potes esse ueni.  
 Serua me miserum quem subruit unda malorum,  
 Tam grauis ut uitæ certa pericla ferat.

Narratio in  
 qua commemo-  
 rat afflictioes.

Immersus iaceo cæni sub mole profundi,  
 Non aliquem fundum tristis abyssus habet.

Deuent



Deumi immensum pelagi prouectus in altum,  
 Saeva meum feriens obruit unda caput.  
 Dum queror assiduo fessus clamore fatigor,  
 Vix aliquis possunt guttura rauca loqui.  
 Lumina destituunt ad te spectantia, donec  
 Auxilium expectant unde uenire solet.  
 Plures sunt etenim qui me execrantur inique,  
 Silua pilos capitis quam gerat alta mei.  
 Qui mihi sunt hostes non ullo crimine laesi,  
 Horum est facta potens in mea damna manus.  
 Quam nunquam eripui ceu praedam soluere cogunt,  
 Falsaque delicti poena erit ista mei.  
 Stulticiae tu cuncta meae discrimina nosti,  
 Et mea facta oculos non latuere tuos.  
 Ne sine confundi, ne quis pudor occupet illos,  
 Me propter, qui te spem posuere suam.  
 Arbitrator armorum Deus Israelis et autor,  
 Ne sine confundi qui tua iussa manent.  
 Te propter siquidem sum multa opprobria passus,  
 Et mea diffamis contegit ora pudor.  
 Iudicor esse meis alienus fratribus, et nec  
 Ut faciem nossent, sustinere meam.  
 Sacra domus miranda tuae quia semper amabam,  
 Hic ego zelotes, et sine fine, fui.  
 Quaeque in te iaciunt hostes opprobria duxi  
 In me iacta, animo nec patiente tuli.  
 Arida misceram multo ieiunia fetu,  
 Atque haec est probro res quoque uersa mihi.  
 Cum mea contegerem deformi corpora sacco,  
 Fabula mox, de qua colloquerentur, eram.

K 4

Vana

Hic nostra pec-  
 cata Christus  
 in se transfert.  
 Repetit preca-  
 tionem.

Ratio ex caus-  
 sa calamitatis  
 ducta, Dū tuæ  
 uoluntati ob-  
 sequor, & glo-  
 riam tuam asse-  
 ro, in hæc ma-  
 la incidi, ergo  
 iuuua.



† Sicut antea cōparauit reuelationem Euangelij cum reuelatione legis in Sinai: Ita propter maiestatem hic etiam comparat cū ea ascensionē Christi ad cœlos, cuius fructus numerat, deicum Satanam ac mortem, & ministeriū Euangelij cum dono spiritus sancti.

† Πάθη. Prophetia de Synagoga abiecta ppter inobediētiam erga Euangeliō.

\* Quidam malūt hic proprium uocabulum, dixit Dñs restitua ex Basan, ut sit sententia loco abiecte Synagoge Genes assumam. Nam Basan fuit in finibus Iudæe. Non uolo contentus esse finibus terræ Canaan. Alij appellatiue reddunt, ex pinguibus restitua, id est, ex Synagoga reliquias saluabo.

\* Hic inferit descriptionem pompæ, quæ iterum pingit Ecclesiã qualis sit, ibi enim gratias agunt & laudant Deum omnes. Quidam in ministerio sunt ad docendum, consolandum, excitandum.

Hoc in monte domum sibi legit ut esset in illa Perpetuo, nec enim desinit esse Deus.

† Quis Deus inuehitur quot nam sint millia currus? Aut quot myriades? quis numerare queat?

Ipsis inuehitur Deus in loca sacra profectus, Quæ ceu Sinaidos culmina rupis habent.

Ascendisti etenim Deus hinc euectus in altum, Captiuos tecum uictor ab hoste uehens.

Pro populis etiam tibi sunt data dona receptis, His etiam qui te non habuere Deum.

Vt tua perpetuum maneat domus inclyta in æuum, Vt tua in hoc maneant nomina sancta loco.

† Perpetuo Domini celebremus tempore laudes, Quæ nobis adhibet frena salutis erunt.

Nam Deus hic nobis Deus est uitæ atq; salutis, Et Dominus per quem mors quoq; uicta fugit.

Vulneribus tamen affliget caput hostis acerbis, Qui male suscepta nescit abire uia.

\* Rursus ab uberibus referam, Deus inquit, opimis Ex rapida uasti concauitate maris.

Vt tuus hostili rubeat pes sanguine tinctus, Et canibus fiat sanguis & esca tuis.

\* Quanta tui fuerit Deus excellentia gressus, Vidimus ô regum maxime, summe Deum.

Præcedunt placida tibi carmina uoce canentes, Post hos qui manibus musica pleetra mouent.



Tympana quos inter pulsantes rauca puellæ  
 Dulcia multiplici iubila uoce canunt.  
 Tota Deo resonet meritis Ecclesia laudes,  
 Fontis ubi Israël nobilis unda fluit,  
 Illic Benjamin puer dominaberis illis,  
 Deq; tua proceres fortis Iuda tribu:  
 Et qui magnanimi Sebulonis sceptrâ gubernant,  
 Naphtalidos qui sunt de ditione domus.  
 Te tuus ingenti Deus auctum robore fecit,  
 Fac Deus in nobis quod facis, esse ratum.  
 Propter clara tui Solymorum nomina templi,  
 Constituent reges munera multa tibi.  
 Argue condensa residens in arundine monstrum,  
 Præualidos terræ disijce, pelle, fuga.  
 Qui ualido trucibus non cedunt robore tauris,  
 Qui tanquam uituli luxuriare solent.  
 Qui sibi diuitias summum posuere beatum,  
 Gentes dele quibus bella nefanda placent.  
 Aegypti proceres uenient, tua numina reges  
 Aethiopum multa relligione colent.  
 Ferte Deo reges terrarum cantica laudum,  
 Omnia terrarum psallite regna Deo.  
 Qui cælo Dominus primæua ab origine rerum  
 Insidet, buc illuc per sua regna uolans.  
 Emittens uocem cum uoce tonitrua mittet,  
 Fortia diuinæ fulmina uocis erunt.  
 Illius æterno summum date robur honori,  
 Illius Israël gloria sceptrâ regit.  
 Illius in cunctis Gentes est summa potestas,  
 Qui facit in sanctis facta stupenda suis.

Paulus.

Iacob. Iudas.  
 Petrus.  
 Andreas.  
 Philippus.

Oratio pro  
 Ecclesia.

Gentes.  
 Orat contra  
 Synagogam.

Vocatio Gen-  
 tium.

Gratiarū actio

Prædicatio  
 Euangelij.

K 3

Hic



ne Legis ac cultuum eius. Ac hortatur ad gratiarum actionem, & diligentem orationem, ut Deus hæc dona conferuet.

Vincenti Psalmus et canticum  
Dauid.

Patheticum ex  
ordiū, in q̄ ma  
le precat Syna  
gogæ & hosti-  
bus Euangelij,  
ecōtra precat  
bene Ecclesiæ  
credentium.

\*  
Propositio.

\*  
Molliter uehe-  
tur non sicut  
in Sinai.

\*  
Narratio in  
qua primū de-  
scribit ex fa-  
ctis caput reg-  
ni Christum, ac  
nō obscure eū  
Deum esse præ-  
dicat, siquidē  
diuina opera ei  
tribuit.

\*  
Secūdo descri-  
bit aduentū ei-  
us, facit autem  
in signem colla-  
tionem legis in  
Sinai & Euāge-  
lij in Sion uul-  
gati.

**D**Extra ubi cōsurgens se mouerit alta tonantis,  
Mox capiat celerem turba inimica fugam.  
Agmina mox fugiant retro dispersa malorum,  
Nec sacri uultus fulmina tanta ferant.  
Ut faciles uacuum sparguntur in aëra fumi,  
Sic disperge hostes conditor alme tuos.  
Fusilis oppositos ut cera liquefcit ad ignes,  
Sic pereat peccans impius ante Deum.  
Delicijs at plena habeant sua gaudia iusti,  
Ante Deum iusti gaudia certa ferant.  
\* Grata Deo iussis diffundite carmina linguis,  
Ipsius ut sacrum nomen ad astra ferant.  
\* Exæquate uiam uenienti è sedibus altis,  
Qui placidos infert in sua regna pedes.  
\* Sicut enim Dominus uerè est, ita iure uocatur,  
Læticiæ nobis caussa sit ante Deum.  
Qui uiduas curat carisq; parentibus orbos,  
Ipse habitat sedis templa beata suæ.  
Ipse domos steriles fœcundis fœtibus implet,  
Victorum, domito carcere, uincla leuans.  
Hunc qui despiciunt, huic qui parere recusant,  
His habitanda dabunt arida rura locum.  
\* Cum Deus ante tuum populum gradereris, & omne  
Vasta peragrare, quicquid eremus habet:

Omnia



Omnia tunc magnæ tremuerunt uiscera terra,  
 Tunc madidus subitis imbribus aër erat.  
 Nam Deus ille aderat cuius præsentia rupis  
 Sinaidos celsa legit in arce locum.  
 Qui Deus Israël, ut est, sic iure uocatur,  
 Cuius ad aspectum cuncta creata tremunt.  
 Languida facta tua est genitor possessio & arct,  
 Mitte salutare quæ medeantur aquas.  
 Ut tua fructiferas habitent animalia terras,  
 Pasce tuæ miseros dexteritatis ope.  
 Ipse suum uerbum Dominus dabit, omnia fient †  
 Regna Euangelyj lumine plena noui.  
 Ipsi inter sese reges quibus agmina parent †  
 Bellica, amicitiaæ fœdera percutient.  
 Post hæc ipsa domus habitatrix inclytâ magnæ  
 Aequa lance nouas annumerabit opes.  
 Cum tamen extremas inter recubabit is oras, †  
 Et loca quæ limes claudit utrinq; suos.  
 Tunc erit argento celeris tincta ala columbæ,  
 Aurea tunc placida penna uolucris erit.  
 Hanc super omnipotens cum reges profert, ora\*  
 Vel sub nocte, feret candidiora niue.  
 Mons Domini multa rerum ubertate redundans,  
 Altus & eximia fertilitate potens.  
 Vestra quid erigitis præcelsi culmina montes? \*  
 Ante alios ipsi mons placet iste Deo.  
 in aperto campo, ubi arma fulgent sicut pennæ columbarum in sole.  
 \* Sententia est, si Dominus huic exercitui, id est, Ecclesiæ dat suos  
 duces, id est, Apostolos, tunc etiam si nox, id est, afflictio sit, tamen habebunt lucem & solatium suum.  
 \* Addit collationem, & Ecclesiam sic instructam uerbo præfert potentia & opibus mundi.

Indicatio de-  
 bebāt esse, nūc  
 non uenis cum  
 tali tempesta-  
 te, sed gratiam  
 Euangelyj plu-  
 uiam mittis.

†

Hic exponit  
 pluuiam, debe-  
 bant autē præ-  
 sentia esse non  
 futura.

†

Reges sunt A-  
 postoli seruien-  
 tes Ecclesiæ.

†

Quia Ecclesia  
 per uerbum mi-  
 litat cōtra mū-  
 dum & Satha-  
 nam, comparat  
 eam exercitui  
 castra metanti



Hi sunt Scribæ  
Pharisæi, Pon-  
tifices.

Subinde inter  
narrandum ad  
precazionē re-  
dit.

Hunc modū o-  
randi oēs pi-  
sequuntur, ut  
propter mise-  
ricordiā & bo-  
nitatem Dei se  
exaudiri petāt

Vana loquebantur de me quàm plurima cœtus,  
Qui loca portarum publica adire solent.  
Ebria quiq; olidis depotant uina tabernis,  
De me fingentes carmina fœda canunt.  
Verum ego continuis precibus tibi uota ferebam,  
Tempore quo rebar posse placere tibi.  
Pro pietate tua ser opem non digna ferenti  
Mi Deus, & querulas accipe quæso preces.  
Eripe me obscœni de uasto gurgite limi,  
Ne miser urgentes obruar inter aquas.  
Liber ut osorum laqueos contemnere possim,  
Ne serat exitium dira uorago mihi.  
Ne me latifluis tempestas obruat undis,  
Ne caput infœustum sorbeat alta palus.  
Ne super inclusum puteus claudatur abyssi,  
Et premat inferno corpora mersa lacu.  
Exaudi quia summa tua est bonitasq; fidesq;  
Respice me, pietas nam tua sine caret.  
Ne uultus auerte tuos à uoce precantis,  
Namq; mea est multis anxia uita malis.  
Exaudi, ser opem cito, dum premit hostis & urget,  
Nunc animam uindex assere ab hoste meam.  
Ipsa inimicorum moueant te opprobria, ut ista  
Me conseruatum conditione uelis.  
Tu probra quæ patior, mea tu omnia scandala nosti,  
Quæ mihi turba nocens fecerit, ipse uides.  
Tot mihi probrosæ perfringunt pectora uoces,  
Quæ mihi præcipui causa doloris erant.  
Talia quærebam miserantem incommoda rerum,  
Quem mea mouissent uulnera nullus erat.

Circum



Circumspēctabam qui solaretur egenum,  
 Hoc quoq; qui uellet sumere, nemo fuit.  
 Quin mihi quā dederant famis agro in tempore dura  
 Mista uenenatis fellibus esca fuit.  
 Et mea mordaci turbarunt pocula. aceto,  
 Arerent nimia cum mea labra siti.  
 In laqueos cibus ipsorum uertatur, ut inde  
 Scandala te pēnas retribuente ferant.  
 Lumina ne uideant ipsorum nube tegantur  
 Perpetua, lumbis illa fracta trabant.  
 Flumina tota tui super hos effunde furoris,  
 Conterat arreptos pectoris ira tui.  
 Horum omni careant deserta palatia cultu,  
 Dignetur uacuas nemo habitare domos.  
 A te percussum quia plus affligere quærunt,  
 Vulneribusq; tuis addere plura student.  
 Fac precor adijciant sceleri scelus, ut sacra nunquam  
 Iusticiæ possint tecta subire tuæ.  
 Non sint in numero meritorum præmia uitæ,  
 Scripta q; cum iustis nomina nulla ferant.  
 Exul ego, & nimius turbat mea pectora mœror,  
 Virtutis uideam dona beata tuæ.  
 Ipse Deo dicam noua carmina, & esse fatebor,  
 Qui sit magnifico dignus honore coli.  
 Omnibus & uitulis & bobus cornibus auctis,  
 Officium Domino gratius illud erit.  
 Istaudent humiles & toto pectore gaudent,  
 Perpetuo uiuent pectora nixa Deo.  
 Nam Deus auxilio iuuat atq; exaudit egentes,  
 Captiuis solitus dexter adesse suis.

K 5

illum

Post exposi-  
 tam calamita-  
 tē uertitur ad  
 Synagogam &  
 extrema mala  
 ei imprecatur  
 spiritalia &  
 corporalia, ut  
 sint sine uerbo  
 & cultu, sine  
 posteritate &  
 oñi genere ma-  
 lorum exerce-  
 antur.

Redit ad pre-  
 cationē & ad-  
 dit gratiarum  
 actionem cul-  
 tū scilicet no-  
 ui testamenti  
 abrogatis cul-  
 tibus legis.



Laudibus ipsa tuis gestit me lingua canendū,  
 Et quæ debetur uita redempta tibi.  
 Iusticiæ mea corda tuæ meditantur honorem,  
 Nec sine laude tua præterit ulla dies.  
 Ut pude facti omnes referant sua scandala secum,  
 Qui bene nil de me quod meditentur habent.

## PSALMVS LXXII.

Deus iudicium tuum Regi  
 da, & iudic.

## ARGVMENTVM.

Est insignis propheta de Regno Christi,  
 & ipso Christo, quod sit Deus, quia dicit: Ti-  
 mebunt eum quamdiu Sol & Luna erit. Itē:  
 Omnes reges adorabunt eum, quod in Re-  
 gno eius cōdonabuntur peccata. Inundabit  
 iusticia & afflicti liberabuntur, Hæc benefi-  
 cia magnifice prædicat. Dicit quoq; de cru-  
 ce, qd qui in tali Regno sunt, isti patientur  
 suos hostes & occidentur. Sed consolatur  
 hic quoq; Preciosam talem mortem, non  
 ignominiosam aut malam esse in conspectu  
 Christi. In fine addit de cultu Ecclesiæ, de  
 prædicatione beneficij Christi.

Christi dos hic etiam fidei regnum esse futurum  
 Spargendum toto quod sit in orbe, canit.  
 Tollendum ueterem Mosea, piacula, cultum,  
 Dogmata sic ritus instituenda noui.

salo



Salomonii.

**Q**ui uirtute tua rerum moderari habens,  
 Iusticiaq; regis quicquid ubiq; regis:  
 Quae tua sunt permittite tuo moderamina regi,  
 Iusticiam natum regis habere sine.  
 Legibus ut populum proprium tibi iudicet æquis,  
 Praesit & exulibus cum bonitate tuis.  
 Extollant populo pacis noua fœdera montes,  
 Colles iusticiae dona beata ferant.  
 Consulat exulibus, reget arbiter æquus egentes,  
 Amplius haud ullis fraudibus hostis aget.  
 Vindice namq; cadet destructa calumnia ab illo,  
 Amplius artificem non habitura suum.  
 Omnes te metuent Gentes dum lumina Solis,  
 Cornua dum Lunæ se uariantis erunt.  
 Sicut in expositum uellus cœlo editus imber  
 Destuet, ut pluuiæ quæ loca siccarigant.  
 Ipsius unanimes florebut tempore iusti,  
 Illa salutifera tempora pacis erunt.  
 Pax erit hæc iustis totum diuturna per orbem,  
 Donec erunt lunæ cornua nulla super.  
 Littoribus regno contraria littora iunget,  
 Orbita qua terræ, qua patet unda maris.  
 Hinc ubi felices fœcundat Iordanis agros,  
 Terrarum ad fines profert imperium.  
 Accola latiuagæ ante ipsum procumbet eremi,  
 Turba inimica dabunt oscula pulueribus.  
 Littora cuncta maris, maris intima regna tenentes  
 Innumeri reges munera multa dabunt.

Fortis

Orditur pro-  
 phetiam a uo-  
 to, uocat autē  
 Christū Regē,  
 & filium Regis  
 Dauidis pro-  
 pter promissi-  
 onem.

Iam describit  
 Regnum quod  
 sit futurum æ-  
 ternum regnū,  
 & in quo sit re-  
 missio peccato-  
 rum & gratia.

Alludit ad hi-  
 storiam Gide-  
 onis Iudicum  
 sexto.

Vocatio Gen-  
 tium.



Denigret ne fœda meam confusio uitam,  
 Eripe ab hostili per tua iura manu.  
 Audi humiles inclinata precor aure querelas,  
 Et famuli serua pectora fessa tui.  
 Tu mihi ceu rupes fortissima, cuius in arcem  
 Confugere, & muro tutior esse queam.  
 Nunc quoq; seruari tibi me spes optima uenit,  
 O arx praesidij non capienda mei.  
 Eripe me manibus patrantis pessima turba,  
 Ne forte in laqueos impius hostis agat.  
 Te moror, in te uno summa expectatio nostra est,  
 Donec ad hos uenit prima iuuenta dies.  
 In te nitor adhuc ab eo quo tempore primum  
 Aluus, me puero, matris aperta fuit.  
 Te duce me genitrix uitalibus edidit auris,  
 Ergo agor ingenti laudis amore tuæ.  
 Prodigio similem multi me sæpe uocabant,  
 In te nixa tamen spes mihi fortis erat.  
 Laude tua me lingua loquax atq; ora redundant,  
 Nulla dies careat laudis honore tuæ.  
 Cum mea subrepens tardabit membra senectus,  
 Ne rogo proiectum deseruisse uelis.  
 Cum mihi decrescant effæto in corpore uires,  
 Tunc ego sim curæ pars quotacunq; tuæ.  
 Consultant siquidem de me qui sæpe minantur  
 Insidias structas in caput esse meum.  
 Non secus ac si tu me abieceris omnia tentant,  
 Dum possint aliqua parte nocere mihi.  
 Horum aliquis, non ergo sequi conabimur, inquit,  
 Quom nemo eripiat, uincere posse leue est.

Insignes, uoces  
 fidei.

Ecclesia in mū  
 do ceu prodigi-  
 um.

Senectus est Ec-  
 clesia ultimo re-  
 temporum.

Pericula Eccle-  
 siæ a Tyrannis



Huc ades auxilio, fer opem, ne forte moreris,  
 Viribus hostiles destituantur opes.  
 Omnibus opprobrio fiant, & fabula uulgo,  
 Qui mala non merito tot scelerata struunt,  
 Ipse animam tolerans patienter ad omnia sistam:  
 Et semper mecum laus tua maior erit.  
 Iusticiæ decus omne tuæ mea lingua loquetur,  
 Et sine quæ numero dona salutis habes.  
 Incipiam narrare Dei quam magna potestas,  
 Quanta sit haud ullam uis habitura parem.  
 Quam tibi fidentes animo sis iustus in omnes,  
 Non meus hic animus desinet esse memor.  
 Doctior excessi per te iuuenilibus annis,  
 Et tua tempus ad hoc facta stupenda loquor.  
 Quam mea cum senium cana niue tempora sparget,  
 Tunc me neglectum ne patiare rogo.  
 Donec uenturis memorem tua robora seclis,  
 Notaq; sit dextræ uis generosa tuæ.  
 Iusticia excelsi tua sidera pulsat Olympi,  
 Magne parem possit quis reperire tibi?  
 Qui tot & ærumnis, qui me & tot cladibus offers,  
 Rursus & in uitam mortua membra leuas.  
 Atq; iterum ex ima reuocatum reddis abyssis,  
 Et facis ostenso sole uidere diem.  
 Extollisq; iterum, & magnum facis esse uideri,  
 Solatus placita tristia corda manu.  
 Ergo ego nunc laudum præconia magna tuarum,  
 Pectine cum fidibus non reticente cano.  
 Te Citharæ, te nostra canent Psalteria, magnæ  
 O Israël maxime gentis honor.

Imprecatio cōtra hostes Ecclesie.

Altera pars psalmi, gratia rû actio, in qua ostendit cultū noui testamenti prædicationem scilicet misericordie dei.

Ecclesia duratura usq; ad finem mundi.

Vide Ecclesie fortunam, istæ perpetuæ sunt uices, affligi & iterū liberati.

Laudi



Ecclesie cre-  
dentis in Chri-  
stum pmissio.

Illum laude ferant caelum, mare, sidera, tellus,  
Quicquid et haec extra est, quicquid & intus habent.  
Nam Deus aetherea saluabit ab arce Sionem,  
Vrbes restituet fortis Iuda tuas.  
Rursus & hic habitent homines & iugera terrae  
Haereditum proprio pingua iure colant.  
Atque ea posteritas per saecula longa tenebit,  
Horum, quos Dominum iuuat amare Deum,

## P S A L M V S LXX.

Deus in adiutorium meum intende.

## A R G V M E N T V M.

Est plane idem argumentum cum praecedenti Psalmo, orat enim contra Synagogam infidelem, & pro Ecclesia.

Orat ab insidijs defendi posse malorum,  
Qui tot, & infesti sunt sine fine bonis.  
Tota ardens odijs quia turba Cainica, nostram  
In cladem & uitam nocte dieque furit.

**V**T quibus inuoluor clades euadere possim,  
Tu mihi festinam mi Deus affer opem.  
Illorum infamis turbet confusio uultus,  
Insidias uitae qui posuere meae.  
Retro abeant, uelox ignominia opprimat omnes,  
Qui nisi nil optant plurima damna mihi.  
Retro abeant, pudor occupet inuidiosus euntes,  
Qui mihi succlamant, hoc erat illud, habet.

Iubila



Iubila latantes animos testantia fundent,  
 Quorum sunt soli dedita corda tibi.  
 Hi uerba assiduis gratantia uocibus edent,  
 Gloria, laus, & honor, sit tibi summe Deum.  
 Et nunc exilio, nunc paupertate maligna  
 Pressus, in hostiles sum data praeda manus.  
 Festinam Deus affer opem, ne forte moreris,  
 Tu mihi nam Deus es, tu mihi certa salus.

## PSALMVS LXXI.

In te Domine speraui, non con-  
fundar in æternum.

## ARGVMENTVM.

Caret Psalmus titulo, fortasse, quod sit oratio totius Ecclesiæ omnium temporum pro conseruatione uerbi, et liberatione a Tyrannis & persecutoribus, quos Ecclesia semper passa est, maxime autem in postremis temporibus, quæ sunt ueræ Ecclesiæ senium, propterea quod spiritus & alia dona sunt rariora, quam fuere in primitiua Ecclesia & sub Prophetis.

Rebus in afflictis Dominum sibi adesse precatur,

Et quam non habeat, ferre salutis opem.

Hæc tamen ipsa potest Ecclesia uoce precari,

Præcipue hoc ipso tempore penè senex.

○ Pater, ð hominum diuimq; æterna potestas †  
Fidere cui possim te sine nulla uia est:

Deni-

†

Prior pars  
psalmi nihil est  
nisi precatio, q̄  
uarie pro affe-  
ctu mentis ex-  
ponit intertex-  
tis ancubi caus-  
sis &c.



\* Gentes non  
circunciden-  
tur, non alia le-  
gis opera faci-  
ent, Hoc faci-  
ent, adorabūt  
& seruient ei,  
Psal. ij.

Regnum  
Gratiæ.

Ecclesia occi-  
ditur.

Hoc insigne  
est, quod audit  
orantes.  
Comparat Ec-  
clesiæ incremē-  
ta foecundo a-  
gro.

Alludit ad pro-  
missionem, be-  
nedicentur in  
eo omnes gen-  
tes.

ἐπιφώνημα

Fortunati Arabum reges, regesq; Sabæi,  
Debita de patria gente tributa ferent.

\* Hunc & adorabunt reges, & seruiet illi  
Quicquid ubiq; hominum maxima terra creat,  
Eruet ille inopes depressos mole laborum,  
Et quibus auxilij spes rata nulla fuit.

Exulis atq; inopis miserebitur, ipse salutem  
Conferet, & miseris auxiliator erit.

Illorum insontes animas à fraude maligna  
Ducet & expositos non sinet esse dolis.

Ipsorum innocuo fusus de corpore sanguis,  
Ante ipsum precij nobilis instar erit.

Viuet, & ex Arabum feret aurea munera Gazæ,  
Perpetuo querulus audiet ipse preces.

Copia nascetur frumenti in montibus altis,  
Illius, ut Libani, concutientur opes.

Illius incipient florere per oppida fructus,  
Ut noua quæ primo gramina uere uirent.

Illius æternum manet indelebile nomen,  
Sole sub æternum hoc nobile nomen erit.

Hoc Gentes nomen se longè extendet in omnes,  
Perpetuo hoc notum tempore nomen erit.

Cuncta per hoc nomen felicia sæcula fient,  
Hoc Gentes omnes nomen honore colent.

Dignus es æterno Deus Israël honore,  
Qui, quæcunq; facis, facta stupenda facis.

Ipsius æterno nomen celebretur honore,  
Ipsius est omni gloria digna loco.

Finiunt orationes Dauidis filij Isai.

Psalms



Quam bonus Israël ihs, qui recto.

## ARGVMENTVM.

Est idem argumentum cum Psalmo tricesimo septimo. Continet enim insignem doctrinam, ne scandalo isto communi offendamur, quod pii affliguntur in hac uita, impii autem florent, & felices sunt: Sed ut nos solemur uerbo in nostris calamitatibus, & expectemus in patientia uindictam, quam Deus suo tempore de impijs sumet.

*Erudit aduersus Pharisæi scandala mundi,  
Quæ mentes hominum sæpe mouere solent:  
Cum uideant florere malos, & crescere rebus,  
Cladibus afflictos omnibus esse pios.*

Psalms A saph.

**Q**ui nisi quod rectū faciunt nihil, & sub aperto  
Pectore nil fictæ simplicitatis habent.  
Hos amat, his bonus est Deus, hos uirtutibus auget,  
Quo genus & uitam cumq; sub axe trahunt.  
Ipse quidem pedibus titubassem penè uacillans,  
Et uia qua stabam lubrica facta fuit.  
Namq; uidens stolidos animo indignante ferebam,  
Impia tam pulcra nomina pace frui.  
Nam nec atrox duræ mortis metus imminet illis,  
Nec stabiles forti fors rotat ulla manu.  
Sicut enim scopulis obeuntibus insita turris,  
Illorum nulla si quatiuntur opes.

**Propositio.**  
Deus etsi affligit suos sinit, tamen eos non deserit. Prius autem quã hanc propositionem probat instituit narrationem, in qua exponit scandalum de impiorum successu quo sententia ista a Propheeta proposita uideretur euersti.

L

Non



Non hos, ut reliquos homines, dea luminis expertis  
 Deicit aut fugiens terga uidere iubet.  
 Non hos ærumnæq; graues duriq; labores,  
 Non hos pauperie tristia fata premunt.  
 Illorum ergo suas immensa superbia laudes  
 Inuenit, & tales friuola cuncta decent.  
 Diuitijs tumidi primos uenantur honores,  
 Et sibi quæ libeant cuncta licere putant.  
 Iam quoq; turpis inest stolido iactantia fastu,  
 Ut linguæ nequeant ponere fræna suæ.  
 Omnia contemnunt præter sua facta, suoq;  
 Omnia iudicio discutienda putant.  
 Omnia sicut agunt, sic & uiolenta loquuntur,  
 Sæpe etiam superos lingua superba petit.  
 Vaniloquo summum tetigerunt gutture cœlum,  
 Garrula per totam lingua uagatur humum.  
 Talibus accedunt igitur pars maxima uulgi,  
 Quos apud optatis exatiantur aquis.  
 Dicere nec metuunt: quis enim sciat hæc Deus? an sit  
 Mens aliqua excelsi, quæ sciat ista Dei?  
 Hæc est illa suæ contemtrix turba salutis,  
 Hæc est illa suo gens malefida Deo.  
 Hos fortuna fauens in sede locauit honorum,  
 His & opes parent, & fauor omnis adest.  
 \*Ergo ego sum frustra cur crimine purus ab omni?  
 Quid iuuat incestas non habuisse manus?  
 Cur ego continuo tot sum mala passus? & in me  
 Tam cito plagarum sæuijt omne genus?  
 Certe ego, nam fateor, cernens bona fata malorum,  
 Talia dicentes penè secutus eram.

\*Occupatio q  
 eleganter pin-  
 git scandalum.  
 Animum enim, cū  
 per impatientiam  
 frāguntur,  
 & uident suam  
 calamitatē: ma-  
 lorum autē suc-  
 cessum, sollici-  
 tantur ad impi-  
 etatem, & sen-  
 siunt se Deo  
 non esse curæ.

Sed



PSALTERIUM.

sed ne sic genus electum spreuisse uiderer,  
 Nullaq; pars populi dicerer esse tui.  
 Sollicito uarios uolebam pectore motus,  
 Si caperent sensus talia facta mei.  
 Sed mihi difficiles tulit hæc agitatio curas,\*  
 Et labor inquirens irritus ista fuit.  
 Donec operta Dei mysteria mente subirem,  
 Exitus istorum quis foret inde notans.  
 Tu siquidem illorum uestigia lubrica ponis,  
 Et uelut immissæ turbine sternis humi.  
 Quàm cito prætereunt, quàm desolantur in horas,  
 Quàm pereunt subito deficiuntq; metu.  
 Ut uaga monstrifera uanescent somnia noctis,  
 Lumina cum fugiens deserit arcta sopor:  
 Sic Deus istorum laruas & inania tolles\*  
 Monstra, nec in uiuis amplius esse fines.  
 Sed nunc triste mihi est acerbò uulnere fixum,\*  
 Inguminaq; expunctis renibus ægra dolent.  
 Stultus enim insipiens & acuti pectoris expers  
 Ipse sui & uultus ut pecus ante tuos.  
 Sed tamen à te abij nunquam, tibi semper adhaesi,  
 Neue aliò recidam, me tua dextra tenet.  
 Consilij directa tui me semita ducit,\*  
 Assumptumq; nouo prorsus honore beas.  
 Concilio intuleris superùm caeloq; locaris  
 Quem sequar in caelo, te sine nullus erit.

\* Insignes consolationes contra hoc scandalum;  
 quod etsi pij afflicti sint, tamen in hoc sunt uere domini  
 mundi, quod habent Deum amicum et defensorem: Ergo  
 uera est propositio, Bonus est Deus Israel his, qui recto  
 sunt corde &c.

L 2

Reddi

253 Hic se erigit  
 contra scanda  
 lū, ac pponit  
 illustrem sentē  
 tiā de tota Ec  
 clesia, q; etiā af  
 flicta est, & ua  
 rie patit. Quē  
 inq; ex euentu  
 huius uitæ uo  
 let iudicare, is  
 necesse est, da  
 mnet oēs filios  
 Dei & totā Ec  
 clesiā, q; enim  
 affligunt, ut dē  
 tur a deo deser  
 ti. Sed falsum ē  
 iudiciū hoc, q;  
 ex euentu seu  
 specie externa  
 sumitur.

\* Ratio ex hoc  
 scādalo nō po  
 test se expedi  
 re, sed ybū def  
 ostedir, futurū  
 ut & pij tandē  
 liberent, & im  
 pij pereant. At  
 que hic incipit  
 ppositionē p  
 bare q; pij deo  
 cure sint, siquē  
 dē liberant &  
 impij pereunt.

\* Insignis con  
 paratio.

\* Anteq; experā  
 untur hæc, pij  
 uarietentatur.



Reddideris terræ, terras donaueris omnes,  
 Quem sequar in terris, te sine, nullus erit.  
 Nunc mea defectis caro uiribus ægra fatiscit,  
 Nec sua consuetum pectora robur habet.  
 Robur & auxilium Deus est mihi pectoris huius,  
 Hac ego perpetuo parte beatus ero.  
 Nam quicumq; abeunt à te longeq; recedunt,  
 Illorum tenebris obruta uita perit.  
 Qui te cunq; negant, & qui tua signa relinquunt,  
 Confusos proprijs sensibus esse facis.  
 Sed mihi conducens Domino est hæsisse uoluptas,  
 Et soli utilitas fidere magna Deo.  
 Vt tua per cunctas narrem miracula Gentes,  
 O Deus, & laudis nomina summa tuæ.

ἀντίθεσις.

## PSALMVS LXXIII.

Vt quid Deus repulisti in finem.

## ARGVMENTVM.

Est Prophetica oratio, pro populo Dei & templo seu cultu contra Gentes, quæ populum captiuum abducturæ, & templum prophanaturæ erant, Sicut per Chaldæos, & profeta per Antiochum factum est. Contra hostem qui Tempora Dei uertebat, et urbem, Chaldæum dicas Antiochum licet. His precibus nos crudeles utemur in hostes, Præcipue laruas impia Roma tuas.

Erudiens canticum Afaph.

Propositio.

**S**umme parens rerum, quid nos ita clade repulso  
 Assidua, perimî destituiq; sinis?

Perpe



Perpetuo ne iuæ furor in nos sæuiet iræ?  
 Cum simus fidei credita turba tuæ.  
 Pascua non alio tua qui pastore tenemus,  
 Grex tuus, & uultus pascimur ante tuos.  
 Respice quæso tui memor ad discrimina cætus,  
 Quem tu sic propriè iusseris esse tuum.  
 Quos uelut hæredum statuisti in sorte redemptos,  
 Per loca quæ celsi culta Sionis amas.  
 Conculca pedibus diros atrocibus hostes,  
 Contere, & ex alto deijce ad ima loco.  
 Cuncta profanarunt magni sacraria templi,  
 Rugijt ante aras impia turba tuas.  
 Constituere tuas uictricia signa per urbes,  
 Altaq; sacrilega rapta trophæa manu.  
 Non secus ac densæ cædentes rabora siluæ,  
 Frondea lignifeca brachia fâlce metunt.  
 Illi sculpturas omnes, tabulataq; ferro,  
 Deijciunt sacra tam preciosa domus.  
 Sacra tua absument uictricibus omnia flammis,  
 Limina conspurcant nominis alta tui.  
 Constituere animo secum semel omnia raptim  
 Perdere, & in prædam uertere nostra suam.  
 Hi cunctas rapidis consumunt ignibus urbes,  
 In quibus officijs sunt loca sacra tuis.  
 Edita signa olim non amplius ulla uidemus,\*  
 Amplius est nobis nemo Propheta super.  
 Non superest aliquis qui uerum dicere possit,  
 Qui quæ nos deceant, recta uidere queat.  
 Quo tamen usq; isthæc conuitia fœda feremus?  
 Quàm ue erit ista diu pestis multa tibi.

L 3

Tems

Amplificat p-  
positionem: Su-  
mus tuus popu-  
lus, apud nos  
est domus tua.

Narratoī, in  
qua exponit cā  
lamitatem.

\*  
Signa populi  
Dei sunt Pro-  
phetæ, & uer-  
bum, id in illis  
turbis etiam in-  
terijisse cōque-  
ritur.

Hic redit ad  
preccationem.



Tempore quam longo tibi blasphemabit iniquus?

Qui tua spurcifica nomina uoce notat.

Subijcit queri  
moniam longam  
comemoratio-  
nem ueterum be-  
neficiorum & o-  
mnipotencie  
Dei, ut se exci-  
tet hoc modo  
ad spem auxi-  
lij firmiter reti-  
nendam.

Cur manus auersa est nobis tua, quid ueremota

Et placido nobis est tua dextra sinu?

Sed tamen ipse mihi Deus es, pater, arbiter, & rex,

Ex quo sunt uitae tempora caepta meae.

Qui uaga quicquid habent terrae regna salutis,

Hoc opus omne tuum est, hoc tua dextra facit.

† Tu uirtute tua findis uada caerulea ponti,

Te uictore draco concidit inter aquas.

Tu capita elidis magnorum grandia cete,

Victus eremicolis unde sit atque cibus.

Miraculum in  
mari rubro com-  
tra Aegyptios  
quorum spolijs  
populus locu-  
peratus est.

Tu liquidos rumpis fontes, tu flumina siccas,

Est tua clara dies, nox tenebrosa tua est.

Tu lucem statuis, tu magni lumina solis,

Sub noctem condi, mane redire iubes.

Hic se excitat  
ad fortius ora-  
dum. & addit  
rationes, tua  
gloria pericli-  
tatur in nostra  
calamitate, su-  
mus enim po-  
pulus tuus cui  
promissisti tu-  
am opem &c.

Omnes tu certo concludis limite fines,

Quos mare, quos terrae, quos leuis aer habet.

Tu facis aestiui torrentia tempora solis,

Seruit & biberni sideris hora tibi.

† Ergo age crudelis reminiscere probra Tyranni,

In tua quae demens nomina turba iacit.

Ne dederis lanianda feris tua uiscera, neue

Bestia consumat turturis ossa tuae.

Neue tui prorsus populi obliuiscere coetus,

Qui uel in exilio Gens tibi fida sumus.

Hoc in oratio-  
ne aptissimum  
est, urgere pro-  
missioes Dei.

Respice nobiscum quod quondam foedus iniisti,

Nam loca deuastans cuncta Tyrannis habet.

Passae extrema domus, desolataeque ruinis,

Vastatae speciem nunc regionis habent.



Ne patiāre inopem confundi, nam tua laus est,  
 Exulibus grato semper in ore tuis.  
 Surge pater caussamq; tuam defende, memento  
 opprobrij quo te despicit hostis iners.  
 Ne precor hostilem Deus obliuiscere uocem,  
 Qua malus insultat nocte dieq; tibi.  
 Nam magis atq; magis sc̄ui accreuerunt tumultus,  
 Nec finem hostilis fastus habere potest.

## PSALMVS LXXV.

Confitebimur tibi Deus, confit.

## ARGUMENTVM.

Hunc Psalmum recte exponunt in perso-  
 na Christi, ut sit prophetia de regno Christi  
 iudicante per uerbū in mundo, & seruante  
 Ecclesiam suam, Synagogā autem cum om-  
 nibus Euangelij hostib; perdente. Atq; hanc  
 sententiam confirmant secundus & ultimus  
 uersus: Secundum æquitatem iudicabo, &  
 Confringam omnia cornua impiorum. Hęc  
 solus Christus per uerbum Euangelij facit.

Nos solatur agens in hypocrisin arma malorum,  
 Qui sua quæ iactant dogmata uera putant.  
 Edocet esse Deum qui uere iudicet omnem  
 Perfidiam, quæ nos lædere cunq; potest.

Vincenti psalmus & canticum Asaph, ne periret.

**L** Audibus efferimus meritis te maxime diuim,  
 Laudibus efferimus te Deus alme tuis.

Orditur a gra-  
 tiar; actione.

L 4

Et



Et quoniam nostris prope sunt tua numina uotis,  
Narrantur dextræ facta stupenda tuæ.

Narratio de in  
uulgato in mū  
dū Euangelio.

Tunc ubi tempus erit placidum mihi, tunc ego uero  
Iudicio cunctis munera iusta feram.

Terra liquefacta est & terræ regna colentes,  
Ipse suis stabilem sedibus esse dedi.

Obiurgat secu-  
ram Synago-  
gam, & Tyran-  
nos.

Sæpe ego dicebam stultis iam uana sequentis:  
Stulticiam uobis ponere tempus erat.

Et quos impietas perdit sua, ponite fastus,  
In uestrum ueniant cornua nulla caput.

Cornua ne nimium uobis excelsa leuentur,  
Desinite audacter uerba superba loqui.

Rectius est ut  
hæc exponan-  
tur recitariue.

Nam uirtus quæ uera homines extollere posset,  
Non uenit ex ortu frugifer Eure tuo.

Nolite loqui  
collo præfra-  
cto, quod neq;  
ab ortu, neque  
ab occidente  
nec a deserto  
malū imminet.

Non etiam tepido uitalis ab orbe Fauoni,  
Sed neq; de fastis soliuagisq; locis.

Quin hoc cre-  
dite, Deum es-  
se iudicem nec  
perpetuo pas-  
surum uestram  
securitatem.

Sed Deus est iudex, qui, cum libet, adijcit illum  
Ad Styga, cum uolet, hunc in loca celsa leuat.

Sustinet ille manu plenum cratera lyæo,  
Nulla merata magis uina fuisse ferunt.

\*Ex illo cuicumq; uolet sua uina propinat,  
Illius ad fæces impia turba bibat.

\*  
Ecclesia etiam  
affligitur, sed  
impij in afflic-  
tione pereunt.

Ipse autem æternas persoluam carmine laudes,  
Illi qui Deus est magne Iacobe tibi.

Omnia confringam reproborum cornua, ut ex hoc  
Cornua iustorum surgere celsa queant.

P S A L M V S LXXVI.

Notus in Iudæa Deus in Israël.

Argua



## ARGUMENTUM.

Est gratiarum actio pro duplici dono  
Dei, quod dat Ecclesiæ & populo suo uer-  
bum & pacem, dum defendit contra uim  
Tyrannorum.

Conseruata canit Solimeæ mœnia gentis,  
Quamuis innumero milite cincta forent.  
Sic etiam ipsius est defensa Ecclesia dextra,  
Hæresium licet hanc cingat iniqua manus.

Vincenti in melodijs Psalmus & can-  
ticum Asaph.

**N**Otus Iudæi Deus in regionibus orbis,  
Semper in Israël nobile nomen habet.

In Solymis namq; ipse sibi tentoria fixit,  
Huic domus est rupes quam colit alta Sion.

Illic horribiles clypeos arcusq; rebelles  
Fregit & irata bellica tela manu.

Terribiles alijs reges tua gloria uincit,  
Prædatrix cedit subdita turba tibi.

Omnia terrarum cedunt altissime regum  
Nomina, non secus ac præda relicta, tibi.

Succubere tibi quantumuis ante feroces,  
Non secus ac somno, languida membra, graues.

Dura prius fortes committere bella sucti,  
Mox tibi uictrices supposuere manus.

Dixeris ira aliquid commotior, ilicet ibunt,  
Voce tua in nihilum currus, & acer equus.

Quis tua sustineat metuendi fulmina uultus,  
Cum tua terribiles traxerit ira uinas?

L 5

De

Primum bene-  
ficium, donum  
verbi & cultus  
Dei.

Alterum donū  
pax & defen-  
sio contra inia-  
riam hostium.

Elegās & uere  
prophetias am-  
plificatio: Vno  
ybo fugas ira-  
tum hostem.



De summo intonuit tua uox iustissima cælo,

Territa conticuit numine terra tuo.

Quando ad iudicium Deus exurgebat, ut ipso

Quo uoluit miseris tempore ferret opem.

Namq; quod humanis mouere affectibus iræ,

Debetur merito gratia multa tibi.

Verum quæ reliqua est & uindex ira malorum,

Non habet exacti temporis illa modum.

Epiphonema  
quo horratur  
totam Ecclesi-  
am ad gratia-  
actionem.

Si qua Deo forsitan uouistis, reddite uota,

Soluite terribili munera iusta Deo.

Qui magnos animos adimit uiresq; superbis,

Quem regum terræ maxima sceptrâ timent.

P S A L M U S LXXVII.

Voce mea ad Dominum clamaui.

A R G V M E N T U M.

Est doctrina & consolatio insignis, quo-  
modo animi tristibus cogitationibus et alijs  
incommodis oppressi se debeant erigere, ut  
primum orent, deinde se erigant recordati-  
one mirabilium operum Dei. Hoc qui non  
faciunt & sollicitè oculos in præsentia in-  
commoda defigunt, dolorem frustra dolo-  
ri addunt.

Cum subit ira Dei mentem sua uulnera fassam,

Talia, sic trepidans, signa pauoris agit.

Hac tamen ipse pios solatur imagine uates,

Vt toto incipiant fidere corde Deo.

Kuxta



Iuxta Iedithun Afaph Pfalmus.

**A**nte Deum supplex lacrimosa uoce precabor,  
 Auersus precibus non erit ille meis.  
 Tempore fortuna quo me insectante premebar,  
 Quem peterem, portus proximus ille fuit.  
 Nocte manum tota nunquam tibi tendere cesso,  
 Nec mea fert aliqua dextra quiete frui.  
 Non est hæc animæ qui uulnera curat egentis,  
 Consolatrices nam fugit ipsa manus.  
 Sensibus attonitis & tota mente tremisco, †  
 Cum subeunt animo facta stupenda Dei.  
 Spiritus exangui sub pectore deficit ægræ,  
 Conatus quoties sum tibi pauca loqui.  
 Non finis in dulcem solui mea lumina somnum,  
 Non potis est aliquid territa lingua loqui.  
 Prisca reuoluebam repetito tempora sensu,  
 Quiq; tot annorum præteriere dies.  
 Nocte meo repeto memori sub pectore cantus,  
 Cumq; meos tacitus plurima corde loquor.  
 Ergo ne nos Dominus per sæcula cuncta relinquet?  
 Ergo ne non ultra mitis & æquus erit?  
 Nunquid in æternum pietas defecit ab ipso?  
 Nunquid promissis non stat, ut ante suis?  
 An ne sit oblitus misereri? nunquid ab ira  
 Amplius immensa, nil pietatis habet?  
 Hæc meditans mecum dicebam sæpe, sed hæc est †  
 Conditio carnis, quam queror, ægra meæ.  
 Hæc est diuinæ uoluens mutatio dextræ,  
 Omnia quæ uicibus temperat ipsa suis.

Ergo

Narratio, in  
 qua proponit  
 suum exemplū  
 quod in afflictio-  
 ne & dolori-  
 bus animi, ora-  
 tione utatur.

†

Aptior senten-  
 tia est, Cū ani-  
 mo perturbor  
 tum recordor  
 Dei, cum mo-  
 rore afficitur  
 anima mea tum  
 querelas facio.

Explicat uim  
 & magnitudi-  
 nem dolorum  
 animi.

Hic exponit  
 cuiusmodi sint  
 illæ cogitatio-  
 nes quæ som-  
 num nō admittunt.

†

Reprehendit  
 Propheta suas  
 querelas, qui-  
 bus animus ma-  
 gis perturbat,  
 & se erigit si-  
 ducia potentis  
 dextræ Dei q̄  
 deus uarijs mo-  
 dis, in populo  
 suo ostendit.



Ergo memor tua facta Deus mirabor ab annis  
Antiquis, quorum gloria magna tua est.

Omnia per manuum meditabor facta tuarum,  
Virtutesq; tuas hic & ubiq; loquar.

Epiphonema, In sancto posuere tuæ uestigia plantæ.

sanctæ sunt uig- Quis tibi par proprijs uiribus esse queat?

tuæ, tua confi- Tu Deus es qui summa facis miracula solus,  
lia sunt sancta- Per quæ te notum Gentibus esse facis.

et abscondita, Tu uirtute tua fortis, tu robore dextræ,  
atq; ita ingre- Soluisti populi uincula dura tui.

ditur narratio- Vincla Deus rupit quondam durissima, natis,  
nem nouam mi- Nempe & Iosephi nempe Iacobe tuis.

rabilium, quæ Territa conspexere Deus te flumina aquarum,  
Deus in popu- Te præsentem tremens omnis abyssus erat.

lo suo fecit. Euderunt pluuias grauidæ, ceu flumina, nubes,  
Mare, rubrum Continuis tellus imbribus uida fuit.

Tempestasqua Horrida collisæ mouere tonitrua nubes,  
perijt Pharao. Rupere æriæ fulgura crebra plagas.

Vox tonitrus metuenda tui circumuolat orbem,  
Quem uidet æthereæ machina tota domus.

Illustrant humiles tua flammea fulgura terras,  
Contremuit tellus mota timore tui.

Tu Deus immensi transis uada cærulea ponti,  
Tu pedibus calcas flumina magna tuis.

Nec tamen ulla pedum uestigia uisa tuorum,  
Nulla uia superant signa relicta tuæ.

Sicut oues per Aaronem Moisenq; potentes,  
Ducebas populi castra recepta tui.



Attendite popule meus legē meam.

ARGUMENTVM.

Totus Psalmus est narratio, in qua commemorat perpetuam Dei beneficentiam, ac populi peccata et maliciam. Hortatur igitur commemoratione pœnarum populi ad timorem Dei & obedientiam erga Legem, & commemoratione beneficentiæ, hortatur ad fiduciam in Deum. Atq; hic Psalmus clare docet, quomodo Sacræ historiæ sint tractandæ, nempe ut ad fidem & timorem Dei referantur.

Instruit exemplis usq; Israël ab ortu,  
Fidere saluanti per mala cuncta Deo.  
Sicut enim saluat quos comperit esse fideles,  
Sic reprobos ira iudicis semper agit.

Erudiens canticum Asaph.

**A**ccipite hæc animis, & pectore discite toto  
Quæ loquar, ð populi concio tota mei.

Hic patulas dictis adhibete fidelibus aures,  
Quæ meditor uobis, non sine teste loqui.

Temporis aggredior memorare insignia prisca  
Facta quibus credi possit adesse fides.

Omnia quæ nostras fando uenere per aures,  
Et nobis nostri quæ retulere patres.

Quæq; per ipsorum non sunt occulta nepotes,  
Quorum est hæc etiam conscia posteritas.

Exordium habet locum attentionis.

Propositio.

Rectius: Ne ea celemus filios eorum.

Hi



Hi merita Domini uirtutes laude ferebant,  
 Quæ gestit forti facta stupenda manu:  
 Lex data populo in Syna.  
 Decretum statuens Iacobo grande reliquit,  
 Legem Israël iussit habere suam.  
 Quæ proauos iussit nostros mandare futuris,  
 Duret ut in toto hæc posteritate fides:  
 Vult pietatem propagari in posteritatem.  
 Vt nati natorum & qui nascantur ab illis,  
 Talia perpetuo tempore facta sciant.  
 De hinc ut & ipsorum si quando adoleuerit ætas,  
 Narrarent pueris hæc quoq; facta suis.  
 Fides & obedientia coniunguntur.  
 In solo ut spes tota Deo consisteret ipsis,  
 Ipsius ut poscent iussa uerenda sequi.  
 Ne patribus fierent similes gens uana, rebellis,  
 Perfida, nec iussam docta tenere fidem.  
 Ephraim ante quam reges haberet, populus tenuit imperium,  
 & fuit tum quoq; tabernaculum in Silo,  
 sed & tabernaculum & imperium translata sunt in alias tribus, ppter peccata Ephraim.  
 Gens quæ claustra sui non munit intima cordis,  
 Cuius erat fallax spiritus ante Deum.  
 \* Quales posteritas Ephraimi, bella sueti  
 Et gerere armata tela cruenta manu.  
 Hi tamen euersi sub iniqui tempora belli,  
 Perfidiæ pœnas persolucere suæ.  
 Nam neq; diuinæ seruarant fœdera pacis,  
 Tradita nec Domini iussa tulere sequi.  
 Ipsius immemores operum quæ fecerat ipsis,  
 Quæ uidere oculis mira peracta suis.  
 Aegypti miracula. Ipsorum proauis miracula multa peregit,  
 Qua uagus Aegypti Nilus inundat agros.  
 Tanim Hebrei Zoan uocant regiam Pharaonis, Aegypti Metropolim.  
 Ostia qua spectat stagnare Tanitica pontus,  
 Qui nostras alio scindit ab orbe plagas.  
 Aequoreas diuisit aquas, mediumq; per æquor  
 Duxit, ut errantes sicca per arua, suos.

illos



Illos aëriam iussit præcedere nubem,  
 Cum facerent claræ tempore lucis iter.  
 Illos luciferam iussit præcedere flammam,  
 Cum facerent nigræ tempore noctis iter.  
 In uasta rigidas rupes confregit cremo,  
 Vberibus potans, quas petra fudit aquis.  
 Et siccis faciles deduxit rupibus undas,  
 Fluxerunt rapidæ fluminis instar aquæ.  
 Sic meritum tamen ingrati mala plurima contra  
 Patrantes, iussam non tenuere fidem.  
 Ausi etiam tentare Deum, nec pectore fido,  
 Poscebant uitæ plura alimenta sua.  
 Tunc Dominum contra sunt friuola multa locuti,  
 Præcipue audacitalia uerba sono:  
 Anne cibos pastuq; paret Deus ubere mensam,  
 Humana nunquam per loca culta manu?  
 Duxerit undantes sicco de marmore riuos,  
 Vberibus torrens fluxerit unda uadis.  
 An neigitur panem populo dabit, an ne parabit,  
 Quas placide largas carnis edamus ope?  
 Istauidens Deus, ista suis postquam auribus hausit,  
 Iam nimium candens ipsius ira fuit.  
 Mox in stirpe Iacob flamma exardescere cœpit,  
 Ira per Israel grandis oborta fuit.  
 Nam neq; crediderant Domine, nec totius ipsum  
 Mittere sperabant posse salutis opus.  
 Ipse per aërias mandauit nubibus arces,  
 Iussit et aetherias sponte patere fores.  
 Et pluit immensos super ipsos manna per imbres,  
 Et cælis populo tritica missa dedit.

Exodi XVII.

Exodi XVI.

Cæle



Numeri XXII Cœlestem grauidis panem de nubibus auctum  
 Mortalis cupida fauce comedit homo.  
 Nubila commouit Nabathæi statibus Buri,  
 Attulit hinc pluuias humidus auster aquas.  
 Tum pluuio largas demisit ab æthere carnes,  
 Grana quod immensi pulueris esse solent.  
 Pennigerarum auium fuit innumerabilis imber,  
 Vix numero uasti certet arena maris.  
 Tam populosa locus nullus per castra uacabat,  
 Cui non alituum copia plena foret.  
 Nec pasti tenuere modum, permiserat ipsis  
 Namq; uoluptates exatiare suas.  
 Quas postquã explessent, et adhuc frueretur edētes,  
 Dulcis adhuc udo naret in ore cibus:  
 Ira Dei grauis apprehendit nil tale timentes,  
 Et tulit in festa corpora lecta manu.  
 Eximios populi iusta succidit in ira,  
 Castra necis uacuum uix habuere locum.  
 Sed neq; sic fugere suis offendere factis,  
 Qui pia facta ipsis contulit ista, Deum.  
 Horum igitur sine honore dies consumsit, & annos  
 Inclusos breuibus finibus esse dedit.  
 Cum tamen afficeret pœnis crudelibus ipsos,  
 Nec fineret iustis cœdibus esse modum:  
 Protinus iratum conuertebantur ad ipsum,  
 Mane requirentes, quem repulere, Deum.  
 Tum memores agnoscebant, quia petra salutis  
 Esset, & ipsorum libera uita Deus.  
 Ore quidem blandi, linguis mendacibus, ipsi  
 Corde procul recto, mollia uerba dabant.

Calamitas fa-  
cit ut orent.

Ne



Nec tamen aut pacto stabant, nec fœderis icli  
 Seruabant uera simplicitate fidem.  
 Ipse autem pius & miserator sæpe ferebat  
 Se scelere offendi, perfidiaq; peti,  
 Ignoscebat enim reprobis, nec funditus ulla  
 Excindi potuit conditione pati.  
 Sæpe etiam auertit iustam moderatior iram,  
 Nec timido bili libera frena dedit.  
 Nam memor attendit, quia sunt caro, sicut in auribus  
 Ventus qui præter, non rediturus, eat.  
 Tempore quàm longo deserta per auia nunquam  
 Subdere se Domino sustinuere suo?  
 Ad subitum quoties ipsum mouere furorem,  
 Per loca non hominum, non ope culta bouum?  
 Auersis quoties tentârunt mentibus ipsum,  
 Ore laceffentes non sapiente Deum?  
 Ipsius obliti dextræ uis quant a fuisset,  
 Tempore quo reduces uictor ab hoste tuli.  
 Quanta per Aegyptum signa ostentari aquosam,  
 Pascua quâ Taneos maxime Nile rigas.  
 Verrit in horrendum cum flumina tota cruorem,  
 Posset ut inde aliquam nemo leuare sitim.  
 Muscarum omne genus quando his immisit, ut ipsos  
 Insaturabilibus morsibus exederent.  
 Intulit & ranas, pluuio uelut imbre, palustres,  
 Quæ popularentur quicquid ubiq; foret.  
 Ipsorum fœdo dedit omnia germina brucho,  
 Agrorum cultus dira locusta tulit.  
 Botriferas rapido prostrauit grandine uites,  
 Fructiferas moros missa pruina tulit.

Nostra misera  
 cōditio Deum  
 commouet, ut  
 ignoscat pec-  
 cantibus.

Exodi VII.

MI

CUM



Cum pecora ipsorum penetranti fulmine strauit,  
Et raperent totos fulgura seuæ greges.

Quando in eos metuenda sui tormenta furoris  
Intulit irati cætera signa Dei.

Et miseris passim cacodæmonas incurstantes,  
Et misera plenas anxietate minas.

Quando iræ dabat ipse suæ cursumq; uiamq;  
Et meritis nusquam cædibus abstinnit.

Cum dedit ipsorum rapturæ animalia pesti  
Omnia, nec quicquam pertulit esse super.

*Cham Noe  
filius.* Primitias Aegypti tuas hominumq; ferarumq;  
Abstulit antiqui culta per arua chani.

Sicut oues populum migrantem duxit, et ibant  
More gregis forti per loca uasta manu.

Duxit ab infesto securos hoste, nec ullus  
His metus hostilis, nec pauor ullus erat.

Verum hostes tanquam fugientia castra secutos,  
Iussa Deo undex obruit unda maris.

*Terra Canaan* Inde suum populum sacram sibi duxit in oram  
Montem hunc, quem propria condidit ipse manu.

Gentibus expulsis qui terram hanc ante tenebant  
Hæredes ipsam iussit habere suos.

Quam ceu funiculis dimensam partibus æquis  
Distribuit, totis ut coleretur agris.

Quæq; prius coluere aliæ tentoria Gentes,  
Isræliticas iussit habere tribus.

Post tamen hæc iterum excelsi mouere furorem,  
Tentantes Dominum per mala facta suum.

Protinus auerso sunt facti corde rebelles,  
Sicut et ipsorum sæpe fuere patres.

Auerfi



Auerſi à Domino toties abiere retrorſum,  
 Tanquam arcus tantum qui ſolet eſſe minax.  
 Illius ab quoties iritauere furorem,  
 Cum lucos colerent, per iuga celfa, ſacros.  
 Cum ſtatuas facerent & muta idola pararent,  
 Quæ ſibi ceu proprios conſtituere Deos.  
 Vidit, & ingentem Deus his exarſit in iram,  
 Hinc fuit Iſraël maxima plaga tibi.  
 Nam tua proiecit uehementer nomina & odit,  
 Te ſtatus capiti damna futura tuo.  
 Tunc ſibi ſacra olim Syloia templa reliquit,  
 Cultaq; præſenti limina sæpe Deo.  
 Tranſtulit ipſorum uirtutem & robur ad hoſtem,  
 Summus & inſiſto ſplendor in hoſte ſtetit.  
 Tradidit & populum gladio, atq; excanduit ira,  
 Hæredis populi per mala facta ſui.  
 Ignibus immiſiſis periit conſumta iuuentus,  
 Et de uirginibus nulla querela fuit.  
 Hoſtili gladio ceciderunt ſacra ſtrentes,  
 Qui uiduas poſſet plangere nemo fuit.  
 Et ueluti ſomno Deus experrectus ab alto eſt,  
 Fortis ut exclamans qui mera uina bibit.  
 Ipſe ſuis manibus cædens hoſtilia terga,  
 Opprobrium cunctis gentibus eſſe dedit.  
 Impia proiecit tentoria fortis Ioseph:  
 Et fuit tribui non Ephraime tuæ.  
 At genus Iſraëligenæ ſibi legit Iudæ,  
 Et iuga quæ ſummi celfa Sionis amat.  
 Illic extruxit uelut alta palatia, quorum  
 Tempore perpetuo tecta ſuperba colat.

M 2

Non

Tabernaculū  
 tranſlatum in  
 Hieruſalem.



Non secus ac terram cui fundamenta locarit,  
 Extremo finem non habitura die.  
 Et sibi dilectum Dauidem elegit, & ipsum  
 Ex ouium caulis ad sua sacra tulit.  
 A fœtis uterosq; ferentibus abstulit illum,  
 Pasceret ut populum dux Iacobe tuum.  
 Sicut & acceptum non falso pectore paut,  
 Et uera duxit cum ratione gregem.

## P S A L M V S LXXIX.

Deus uenerunt Gentes in hæreditat.

## A R G V M E N T V M.

Est idem argumentum cum Psalm. 74.  
 Videt futuram uastitatem templi & populi  
 per Chaldæos, & orat pro auxilio.

Excidium spectans urbi temploq; futurum.

His Dominum precibus flectere nisus erat.  
 Nos quoq; lucifugos uerbi flectemus in hostes  
 Hæc, quo nulla queunt tela ferire magis.

Psalmus Asaph.

**S**umme Deum, cui sancta suos Ecclesia cultus  
 Debet, & acceptas quas tibi seruat, opes.

Querimonia  
 de uastitate po-  
 puli per Assy-  
 dæos facta.

In tua uenerunt externæ munera Gentes,

Templa profanantes nominis alta tui.

Gens fera pacifera turbatrix nata quieti,

In tua sacrilego milite iura ruit.

Diruit excisas deiectis mœnibus urbes,

Structa prius, cumuli diruta saxa iacent.

Cali



Celiuagas uolucres proiecta cadauera pascunt,  
 Corpora quæ sanctis fida fuere tuis.  
 Dentibus omnigenum laniantur membra ferarum,  
 Quæ fuerant populi pars quota uiua tui.  
 Innocuo uacuas implerunt sanguine fossas,  
 Quasita sunt urbis mœnia sancta tuæ.  
 Sicut aqua fuso fluxerunt sanguine riui,  
 Putris adhuc multa cæde madescit humus.  
 Fœda per ingentes iacuerunt funere campos,  
 Exanimis nemo, qui sepeliret, erat,  
 Finitimæ rident Gentes mala nostra, nec ullo  
 Tempore non læti uulnera nostra uident.  
 Vicinis ignominie sumus undiq; nostris,  
 Et leuibus facti fabula digna iocis.  
 Heu pater afflictæ spes unica & ultima plebis,\*  
 An tua sperandum non habet ira modum?  
 Quam nos ista diu premet indignatio? quamq;  
 Ardens ista tui flamma furoris erit?  
 Quin potius Gentes alias atq; impia puni  
 Pectora, quæ nomen non didicere tuum.  
 Hinc auerte tuos aliena in regna furores,  
 Quæ tua non aliqua numina uoce uocant.  
 Nam populo possessa tuo bona cuncta uorârunt,  
 Et desolatas diripuere domos.  
 Nero go ne noceat nobis, quia plurima fontes\*  
 Nos uitia arguerint, & malefacta premunt.  
 Quæ tu dum reputas, nolis meminisse priorum,  
 Sed cito fer miseris, nos miseratus opem.  
 Festinam fer opem miseris, quia prorsus inanes,  
 Auxiliq; inopes indiga turba sumus.

M 3

Eia

\*  
 Precatio in  
 qua obserua q  
 modo miseri-  
 cordiã appre-  
 hendat, & pe-  
 tat propter no-  
 men Dei libe-  
 rationem, Asp-  
 git autem affe-  
 ctus: Nos su-  
 mus tuus popu-  
 lus, illi Gentes  
 sunt &c.

\*  
 Remitte pecca-  
 ta, atq; hic di-  
 sce quia calamĩ-  
 tates plerunq;  
 sunt pœnæ pec-  
 catorum, simul  
 pro remissione  
 peccatorum o-  
 rādum esse, cū  
 pro liberatio-  
 ne oramus.



Eia ades, auxilioq; iuua, quos nulla salutis  
Te sine spes reficit, nec ratio ulla leuat.

Non propter Respice nos per eam, uariae quæ nescia sortis,  
merita aut dig- Nominis est uerè gloria summa tui.

nitatem nostrā Supplicibus placare tuis, audiq; benignus.  
sed propter no- Quas tibi sollicito fundimus ore preces.

men tuū, quia Cur aliquis nobis dicat de gente profana,  
es misericors. Quis Deus est horum? siq; sit ullus, ubi est?

Amplificat pre- Eia age, summe pater, reprobas ulciscere Gentes,  
cationem. Vindictam uideant lumina nostra tuam.

Blasphemant te Gentes, si nos non uindica- Effuso de plebe tua pro sanguine pœnas  
eas. Exige, supplicium uindice sume manu.

Hostibus ut fiat tua nota potentia nostris,  
Et discant istam pertimuisse manum.

Victorum genitus audi, lacrimasq; uideto,  
Et fer in aspectus illa uenire tuos.

Reliquias miseræ religatas eripe morti,  
Robore quo tecum cuncta creata trabis.

Néue impune ferant tot dicta opprobria, in ipsos.  
Ter quater hostiles illa refunde sinus.

Vt tibi, non nobis sese exprobrasse maligni,  
Sed sibi lugubri conditione, sciant.

At nos & populus tuus, & tibi debita soli,  
Per tua grex ouium, pascua sparsa sumus.

Gratiarū actio Nos tua magne pater præconia magna canemus,  
Mobile dum fixo sidere tempus erit.

PSALMVS LXXX.

Qui regis Israël intende, qui.

Argue



## ARGUMENTUM.

Est elegans precatio, eiusdem argumentum præcedenti Psalmo. Orat enim ut Deus contra uicinas Gentes regnum Israel defendat, quod in titulo appellat nomine Liliorum. In Psalmo autem bellissime comparat uiti, a Deo translata ex Aegypto in Canaan, & excultæ per uerbum: & a nobis recte oratur contra hostes Ecclesiæ.

Orat ut hostiles auertat ab urbe tumultus,  
Finitimis cincta Gentibus assidue.  
Nos quoq; finitimos sic execrabimur hostes,  
Qui nunquam nobis non noua bella mouent.

Vincenti de Lilijs testimonium, &  
Psalms Afaph.

**I**sraëlis ades gregis ô fidiſſime paſtor,  
Aures contingat noſtra querela tuas.  
Qui tanquam caulas ouium cuſtodis Ioseph,  
Qui calcas Cherubin terga, uidente ueni.  
Qui ſtas ante Ephraim, q Beniamin, atq; Manaſſen\*  
Vtere nunc dextræ ui potiore tuæ.  
Auxilium lature ueni mala plurima paſſis,  
Tot pater afflictis cladibus aſſer opem.  
Ad nos uerte tui radiantia lumina uultus,  
Pignora iam nobis certa ſalutis erunt.  
O exercituum rector Deus armipotentum,  
Vota ne non populi ſuſcipis ulla tui?  
Num ne tui precibus populi placabere nunquam:  
In nos iſte furor quàm diuturnus erit?

M 4

Paſcis

Propoſitiq;  
Defende popu-  
lum tuum, eſt  
autem inſignis  
fidei uox, qd  
populū gregi-  
& Deum paſto-  
ri comparat.

\*  
Hæ tribus ſe-  
quebantur in  
expeditione ar-  
cam. Numeri  
ſecundo.

ΠάθϞ.



Narratio calamitatum, fumus omnibus uicinis nostris præda.

Elegantissima figura.

Hoc est, usque ad montem Lybanum, præpagatum est regnum.

Redit ad precationem,

Pascis inexhausto tetri nos pane doloris,  
Iamdudum lacrimis ebria turba sumus.

Iam sua de nobis uicini iurgia miscent,

Ceu uilem populum nos ferus hostis habet.

Ad nos uerte tui radiantia lumina uultus,

Pignora iam nobis certa salutis erunt.

Quæ tibi ab Aegypto translata est diuite uitis,

Et tibi quæ quondam tempore cara fuit,

Hunc tu deiectis plantasti Gentibus, illi

Fecisti in placidis sedibus esse locum.

Hanc tu latiuagis radicibus extendisti,

Quæq; sata est uix hanc iam sua terra capit.

Illius excelsi montes uelantur ab umbra,

Contegit ingentes palmitis aura Cedros.

Illius extensus pertingit ad æquora palmes,

Qua uidet Herculeum Sidonis unda Tyrum.

Malleoli rapidas fluuij extenduntur ad undas,

Quem nunc Buphratem proxima turba uocat.

Cur igitur ualidam potuisti excindere sepem

Illius, & nudam prostituisse feris?

Nam male uastata est à prætereuntibus ipsam

Omnibus, ut prædæ cuiq; relicta fuit.

Ipsius est populatus aper siluestris honorem,

Hanc fera depasta est totius omnis agri,

O Deus armipotens placido nos respice uultu,

Hanc uitem è cælo, uise, tuere, uide.

Instaura hanc tua quam plantauit dextera uitem,

Quem statuis, ualeat filius esse tibi.

Ignem quod exustum cumq; est & clade recisum,

Dispereat uultus asperitate tui.



Conseruet tua dextra uirum quem fecit, & ipsum,  
 Assere robustum quem facis ipse tibi.  
 Sic nunquam tua linquemus sanctissima cunctis  
 Numina, da uitam uiuere posse diu.  
 Sic tua perpetuis celebrabimus origa uotis,  
 Et memor omnis erit nominis hora tui.  
 O Deus armipotens placido nos respice uultu,  
 Pignora iam nobis certa salutis erunt.

Collectiua hec  
 sunt, totum e-  
 nim populum  
 appellat uirum  
 & filium.

PSALMVS LXXXI.

Exultate Deo adiutori nostro, iub.

ARGUMENTVM.

Hic Psalmus in festo tabernaculorum can-  
 tari est solitus, quod festum institutum est  
 ad retinendam memoriam expeditionis ex  
 Aegypto. Transit igitur propheta ad insig-  
 nem doctrinam primi precepti, ut in illum  
 unum Deum fidant, qui eos ex Aegypto  
 eduxit, & caueant ab Idololatria, ac addit  
 promissiones & comminationes, quales  
 sunt etiam in primo precepto.

Festa tabernarum celebrans uotiuu quotannis,  
 Hoc uetus Israel carmine letus erat.  
 Qua populum monuit, quod nos imitabimur, æquū est  
 Et uerba, & Domini iussa tremenda sequi.

Vincenti in Githit Afaph.

**F**undite leta Deo festiuo carmina plausu,  
 Quo sine uis nobis nulla relicta fuit.

Exhortatio ad  
 gratiarum acti-  
 onem.

M 5

Tyma



Tympana pulsa sonent, date carmina, dicite Psalmos  
Blanda chelys reboët, nabra sonora canant.

Clangite noctiuagæ dum sunt noua cornua Lunæ:  
Clangite ductilibus carmina lata tubis.

Festa tabernarum celebrantibus annua nobis  
Nullus læticiæ debet adesse modus.

Ratio, in qua commemorat  
beneficium p-  
pter qd festum  
institutū erat.  
Adhuc toqui-  
tur de populo  
Israel, Hebræ-  
is enim fre-  
quens est muta-  
re personam.

Hic solennis enim mos Israël habetur,  
Hoc solenne Deus ius Iacobe tui.

Hoc tibi testatum quondam Iosephe reliquit,  
Fatalem Aegypti cum sequerere locum.

Illic audiui peregrinæ uerba loquæ,  
Non intellecta est barbara lingua mibi.

Ipsè suos humeros ab iniquo pondere uertit,  
Abstulit à furno calfaciente manus.

Temporibus duris cum me in tua uota uocares,  
Auxiliumq; tibi præsidiumq; tuli.

Exaudiui etiam quo, te mala, tempore pessum  
Tempestas medijs pene de dissest aquis.

Doctrina pri-  
mi præcepti.

Huc ades Israël, hæc audi uerba loquentis,  
Mi popule, æternum testificanda tibi.

Non erit inter te Deus aduena, non alienos  
Peruersa diuos relligione coles.

Alienos Deos  
taceas, me præ-  
dices.

Ipsè ego sum Deus ille tuus, qui te optima duxi  
In loca, & Aegypti de regione tuli.

Quàm potes os aperi late, diducito rictus,  
Dote mea pleno plenius illud erit.

Cōminatio ob  
primum præce-  
ptū uiolatum.

Sed mea nec populus meus audit uerba, nec aures  
Exhibet Israël, sed fugit, odit, abit.

Ergo sua tales & in impietate reliqui,  
Et sum consulyjs passus abire suis.

Quod



PSALTERIUM.

187

Promissio primi  
præcepti.

Quod si me populus meus audiat, & mihi tritis  
Gressibus Israël forsitan ire uolet:  
Hostibus ipsorum mox frena ferocibus addam,  
Multaq; iam uictis millia uicta dabo.  
Et tunc qui Dominum sine causa odere rebelles,  
Exciderent spebus turba profana suis.  
Illi duxissent felicia tempora uitæ,  
Si mea legissent mollia iussa sequi.  
Illos triticæ pauissem farre medullæ,  
Melleq; siluestris quod dare petra solet.

PSALMVS LXXXII.

Deus stetit in Synagoga Deorum.

ARGUMENTVM.

Est seuera obiurgatio eorum qui in magistratu positi, non faciunt officium suum, sed abutuntur potentia ad oppressionem pauperum, & opibus ad luxum suum. Addit autem comminationem greuem, futurum ut tales pereant. Quod magistratus Deos uocat, ideo fit, quia magistratus sunt diuina ordinatione constituti, Roman. xiiij. & uindicta Dei dicitur, quam magistratus secundum officium suum exercet.

Qui miseros uiduasq; premunt, hac uoce Tyrannos,  
Increpat, hos ipsos arguit ore duces.  
Cæcos esse docet, morituros esse minatur,  
Solatur uerbis pectora mæsta pijs.

Psalmus.



**P**Ræsident in medio cætu Deus ipse potentum,  
Et iudex alios iudicat ante Deos.

Obiurgatio.

Magistratus  
boni officium.

**T** Quia non faci-  
unt officium,  
omnia pertur-  
bantur, sed a-  
lij malunt hanc  
sententiam, sicut  
dameta terræ,  
id est, ipsi prin-  
cipes peribunt,  
quia non faci-  
unt officium.

**†** Comminatio,  
& poena negle-  
cti officij.

\*  
Insignis clausu-  
la, Ut Deus gu-  
bernet corda  
& resp. secun-  
dum psalmum,  
Nisi Dominus  
custodieret ci-  
uitatem &c.

Quo tandem usq; malas leges, & iniqua feretis  
Iudicia, & reprobos dicitis esse bonos?

Iudicij's inopes defendite, suscipite orbos,  
Afferite oppressos, iustificate pios.

Reddite pauperibus ius, eripite insuper ipsos,  
Si quos in uinculis impius hostis habet.

**†** At nihil hi nec percipiunt, nec lumine cernunt,  
In tenebris cæci tam petulanter eunt:

Ut neq; sit mirum si fundamenta uacillent,  
Atq; etiam terræ fortia fulcra cadant.

**†** Sæpe ego dicebam: quoniam dii scilicet estis,  
Omnes excelso pignora cara patri:

Vos tamen ut reliquos homines fatalia ducent  
Tempora, & ut reges uos quoq; parca feret.

\* Omnipotens exurge, tuo rege numine terram,  
In cunctis hæres Gentibus unus eris.

PSALMVS LXXXIII.

Deus quis similis erit tibi, ne taceas.

ARGUMENTVM.

Est plane idem argumentum cum Psal-  
mo LXXX. Orat pro populo contra uici-  
nas Gentes diripientes populum.

Finitimi Solymas urbem cinxere Tyranni,  
Hostibus in medijs salua erat ipsa tamen.

Sed Deus & nostras defendet ab hostibus urbes,  
Si tali nobis uoce rogatus erit.

Cantus



Canticum &amp; Psalmus Afaph.

**N**E te contineas pater, ð altissime rerum,  
 Ne rogo cunctando tardior esse uelis.  
 Ecce etenim rabidos mouet impia turba tumultus,  
 Qui tibi sunt hostes, qui tua facta negant.  
 Hi capita extollunt magno sublimia fastu,  
 Iudicij ignari iusticiaq; tuæ.  
 Fraude dolisq; tuos captant atq; artibus iisdem,  
 Qui cultu fidei delituere tuæ.  
 Horum aliquis, quid adhuc istos nõ perdimus? inquit,  
 Quid populum hunc patimur tam superesse diu?  
 Possumus Israël delere tyrannida, ne sit  
 Amplius in terra nominis huius honor.  
 Sic etenim statuere animis, & summa uoluptas,  
 Ipsi te contra fœdus inire fuit.  
 Nam qui palmiferæ tentoria seruet Idumes,  
 Ismaël populus qui colit arua plagæ,  
 Quiq; suæ retinent Agarenî nomina matris,  
 Qui Gebalitani iugera ruris arant.  
 Qui Moab deserta habitant Ammoniaq; arua,  
 Quiq; Amalechitæ proxima regna tenent.  
 Rura palestinae quos diuitis incluta pascunt,  
 Et quos Herculeæ mœnia lata Tyri.  
 His etiam Assyrij se coniungere coloni,  
 Laturi auxilium Lothe uetuste tuis.  
 Quod Madianitis olim, contingat & illis,  
 Fac Sisaræ timidi tristia fata ferant.  
 Quod Iabinus erat torrentem ad Chisonis undam,  
 Hoc quoq; sic isti per sua facta tibi.

Propositio.

Narratio periculorum.

Consultant cõtra absconditos tuos, hoc est, contra, eos quos mundus non uidet, qd sint tuus populus, sed odit et damnat.

Filij Loth, Moab & Ammon exincestu nati. Redit ad precationē, ut Deus pdat hostes, & cõmemorat ueteres uictorias

xlii



Illi etenim ueteris periere in finibus Endor,  
 Ceu simus, & putri stercora iacta solo.  
 Ipsorum fac esse duces, Seba quod fuit olim,  
 Quod Salmuna potens, quodq; Seaba fuit.  
 Quod fuit Orebus, quod erant quicunq; Tyranni,  
 Gessere in populum bella nefanda tuum.  
 Constituunt quicunq; tuas habitare per urbes,  
 Seq; loco haredum nomine req; gerunt,

Insignes figure  
 quæ minantur  
 impijs extre-  
 ma omnia.

Fac Deus ut secum titubans ceu turbo, rotentur,  
 Ut sint ceu stipulae quas leuis aura rapit.

Ut uirides quæ sparsa uorant incendia siluas,  
 Ut uaga quæ montes urere flamma solet.

Tali hos tempestate tua Deus effice pœna,  
 Sic rapido terre fulminis igne tui.

Imple ludibrijs ignominiaq; superbos,  
 Ut discant memores nominis esse tui.

Erubcant, conturbentur sine fine, nec usquam  
 Consistant, sua sit pœna perire malis.

Ἐπιφώνημα Tunc Deus agnoscent quia tu sis solus, & idem  
 Summus, & in toto maximus orbe Deus.

## PSALMVS LXXXIII.

Quàm dilecta tabernacula tua.

## ARGVMENTVM.

Habet Psalmus duas partes: Primo enim  
 agit gratias pro uerbo Dei, templo & cultu,  
 ac commemorat quantum sit bonum hæc  
 habere. Deinde precatur ut Deus hæc con-  
 seruare uelit.

Laude ministerium uerbi uehit, optat ab imo  
 Pectore se socium muneris esse pij.

Psalmus



Psalmus hic hortatur potius inquam honores  
Quam nos auersos hinc patiamur agi.

Vincenti in Githith Psalmus filiorum Corah,

Quam iucunda tui mihi sunt habitacula templi,

O Deus armorum militiæq; potens.

Spiritus hic ea iam dudum desiderat æger,

Deficiensq; domus languet amore tuæ.

Tam mihi sunt animo quæ tu colis atria, tam sunt

Concilij curæ tecta beata tui.

Corporis agræ mei caro, & intima uiscera cordis

Gaudent uiuentis numine plena Dei.

Ipsæ sibi inuenit placidam passerulus ædem,\*

Garrula se dignum struxit hirundo larem.

Quo pullos ceu tuta suos in tecta reponant,

Amplexu ut foveant pignora cara suo.

O aras, ô templa Deus tua, maxime mi rex,

Mi Deus, ô animæ depercutis amor.

Felices nimium quibus obtigit ista uoluptas,\*

Tecta domus possint ut coluisse tuæ.

Hi tibi perpetuas iucundo carmine grates,

Hi resonant laudes per tua templa tuas.

Felices quicumq; tuo sunt munere fortes,

Qui proprias figunt in sua corda uias.

Ibunt per lacrimis uallem fletuq; repletam,

Et fontem facient qui modo fletus erat.\*

O Deus armipotens hanc uocem supplicis audi,\*

Audi Iacobæ stirpis origo Deus.

Respice qui clypeo seruas nos fortius omni,

Ab faciem Christi respice quæso tui.

Suauior

Propositio,  
summū bonum  
est habere uer-  
bum.

\*  
Insignis com-  
paratio, quod  
locus, in quo  
uerbum est, sic  
ceu nidus in  
quo fideles ceu  
pulos suos, ex-  
cludit Ecclesia

\* ΕΠΙΦΩΝΗ

ΜΑΤΑ. Fon-  
tes uocat loca  
in quibus uer-  
bum & cultus  
Dei uiget, & si-  
gnificat hoc lo-  
co doctores se-  
rētes uerbum.

\*  
Deest uersus.  
Etiā benedicti-  
onibus induer-  
tur doctor.  
Ibunt de uictoria  
in uictoria, appa-  
rebitque  
Deus in Sion.

\*  
Precatio, ut cō-  
seruet hæc De-  
us, & redit ad  
amplificandam  
magnitudinem  
hūilitatis, ubi uer-  
bum Dei est.



Suauior una dies tua templa beata colenti,  
 Quàm fuerint alibi te sine mille dies.  
 Esse tui malim custos ad limina templi,  
 Quàm colere auratis tecta superba tholis.  
 Verus enim nobis sol est scutumq; fidele,  
 Dante Deo, uirtus, gratia, fama, uenit.  
 Non his omne bonum, non ulla opulencia decriit,  
 Qui uitam pura simplicitate gerunt.  
 O pater omnipotens quoties erit ille beatus,  
 Cui sua spes in te condita firma manet.

## P S A L M V S L X X X V.

Benedixisti Domine terram tuam.

## A R G V M E N T V M.

Est non dissimili argumento cum prior  
 re, precatur enim pro conseruatione religi-  
 onis & Reipub. Nam orat primo pro uerbo  
 & fructu uerbi in populo, deinde pro Re-  
 pub. & fructibus agri. Quidam referunt  
 Psalmum ad regnum Christi seu Euangeli-  
 um. Eam sententiam si quis retinere uolet,  
 allegorica erunt, quæ de agro dicit.

Cor dominum metuens non sustinet illius iram,  
 Quin ueniam supplex, & sine teste, roget.  
 Nam pius afflictus cum sentit uerbera, ad ipsum  
 Qui dedit, extemplo confugit, ambit opem.

Vincenti Psalmus filiorum Corah.

Omni



**O**mnipotens rerum sator, & suprema potestas,  
 Nunc tua terra iterum conciliata tibi est.  
 Et Iacobo etenim captos & signa reducis,  
 Quæ tenuit tantum temporis hostis atrox.  
 Tu populo peccata tuo patrata remittis,  
 Et pietate nefas contegis omne tua.  
 Iræ cuncta tuæ procul hinc monumenta tulisti,  
 Nulla iterum no cui signa furoris babes.  
 Ad nos summe redi nostræ patrone salutis,  
 A miseris iræ fulmina uerte tuæ.  
 Perpetuo ne tuis Deus irascere, nec unquam  
 Candidior nobis hæc tua bilis erit?  
 Quin sine nos potius gratam tibi uiuere uitam,  
 Et dabis hinc populo gaudia summa tuo.  
 Nunc nobis ostende tuæ bonitatis honorem,  
 Corda q; cælesti nostra salute foue.  
 Quod loquitur Deus hoc tantū me audire iuuabit.\*  
 Pacis, quæ Dominus uerba loquetur, erunt,  
 Ille suo pacem populo sanctisq; loquetur,  
 Ne sint stulticiæ subdita turba leui.  
 Et saluos statuet qui numina sancta uerentur  
 Ipsius, ut nostro constet in orbe decus.  
 Lene tuens fidei pietas uenit obuia sanctæ,  
 Oscula pax tribuit mutua iusticiæ.  
 Vera fides, ceu planta, solo sua germine profert,  
 Iusticia è cælo prospicit alta suo.  
 Præterea Deus autor erit bonitatis, ut auctos  
 Multiplici fructus germine terra ferat.  
 Iusticia ante ipsum non tardis passibus ibit,  
 Nec tacito notum sub pede carpet iter.

N

Psal.

Precatio. Est  
 autem commo-  
 dius si yba hæc  
 pro impfecis  
 exponas, ut do-  
 mine qui beni-  
 gnus olim eras  
 terræ tuæ, &  
 auertebas cap-  
 riuitatē Iacob  
 &c. Recitat e-  
 nim præterita  
 beneficia Dei  
 erga populum,  
 & orat, ut nūc  
 quoq; uelit su-  
 is adesse.

\*  
 Hoc optatiuū  
 esse debet, uti  
 nam audiā Do-  
 minū loqui pa-  
 cē populo suo  
 Orat. n. ut mit-  
 tat uerbum. Id  
 est, ut ybo ere-  
 di nō peccen t  
 impatiētia aut  
 desperatione.

Hi sunt fructus  
 uerbi in pijs.

Politica com-  
 moda.



## Inclina Domine aurem tuam &amp;c.

## ARGVMENTVM.

Est precatio, ut liberetur ex periculis, sicut etiam titulus ostendit. Nititur autem oratio hæc tota non aliquibus suis meritis, sed misericordia & bonitate Dei. Quare atrox inligne epiphonema, quod non sit alius Deus similis misericordia & bonitate, & orat, ut in hac fiducia, quam uerbum prædicat, seruetur. Addit etiam gratiarum actionem, tanquam iam sit exauditus.

*Ex animo est orare Deum res magna, nec illi  
Vllus eo cultus gratior esse potest.  
Innumeris Dauida uides erroribus actum,  
In medijs orat semper at ille malis.*

## Oratio Dauid.

**M**axime quem Dominū nobis solum esse fatemur  
Huc age uerte aures ad mea uerba pias.  
Exaudi gemitus tristi de corde profectos,  
Ne uacuas uoces exulis esse sine.  
Cura sit hanc animam tibi conseruare fidelem,  
Sanctus enim pura sum bonitate tibi.  
O utinam famulum uera dignere salute,  
Qui sine te nullum, cui bene fidat, habet.  
Sis pius & propior tua me clementia seruet,  
Qui nullo tibi non tempore nota fero.

Læticia

Propositio  
precatōis, ex  
audi me, fre-  
quens autē re-  
pēditio ostēdit  
uēhementiam  
affectus.



Læticia p̄funde meam Deus unice uitam,  
 Heret ab arbitrio mens mea tota tuo.  
 Tu siquidem bonus es, cunctis tua gratia aperta est,  
 Qui te cunq; pia cum ratione uocant,  
 Præbe meis iterum placatas uocibus aures,  
 Nec sine nil precibus ponderis esse meis.  
 Ad tua confugio peruersis numina rebus,  
 Namq; audis humili quæ tibi uoce queror.  
 Nemo tibi diuûm similis, nec talia quisquam  
 Designare potest, qualia solus agis.  
 Ergo omnes uenient Gentes quas cunq; creasti,  
 Nomen adorantes laude & honore tuum.  
 Quod magnus miranda geras, quod maximus idem  
 Sis Deus, & solus sis sine fine Deus.  
 Me tua, maxime dux, duc per uestigia, ne sim  
 Ignarus ueræ, quæ mihi eunda uia est.  
 Intima fac nostri lætentur uiscera cordis,  
 Ut metuant uero nomen amore tuum.  
 Persoluam meritas uero tibi pectore grates  
 Perpetuo plenus laudis amore tuæ.  
 Magna tua est in me bonitas, qui morte grauatum  
 Me uelut è stygio reddis ad astra lacu.  
 In me flagitijs insurrexere superbi,  
 Mi Deus optantes illaqueare, suis.  
 Turba meam quærun, robusti, pessima uitam,  
 Nec quid habent pensi, nec tua scepra timent.  
 At nunc tu pius & promptus miserescere, lentus  
 Vindicta, uero maxime, summe fide.  
 Respice me miserum, da fortia pectora seruo,  
 Da nato famulæ tempora salua tuæ.

Vides causam  
 cur oret, quia  
 Deus è bonus.

Epiphonema.  
 Admiratur &  
 p̄dicat sui Dei  
 bonitatem, ut  
 ad talem Deû  
 abiectis idolis,  
 omnes Gentes  
 confugiant.

Succicit hic q̄-  
 que petitiuncu-  
 lam, ut feruetur  
 in uerbo et  
 timore Dei.

Gratiarû actio

Redit ad prece-  
 tionem, & com-  
 memorat peric-  
 cula in quibus  
 sit.



Hoc signum est  
ipsa liberatio,  
quam Deus cō-  
tra impiorum  
cogitationes fa-  
cit.

*E*de aliquod mecum signum bonitatis, ut illo  
Fraus uiso, subito uicta pudore cadat.  
*P*rotinus agnoscent, quia tu me iuueris, & sis  
Solatus famuli pectora mœsta tui.

## PSALMVS LXXXVII.

Fundamenta eius in montibus san.

## ARGVMENTVM.

Est prophetia de Ecclesia noui Testamen-  
ti, quod sit futura ceu ciuitas, quæ totum or-  
bem impleat, in qua nascantur Æthiopes,  
Ægyptij, Babylonij, Tyrj, Palestini, & om-  
nium linguarum homines: Nascuntur autem  
temper uerbum Euangelij, quo remittuntur  
peccata, quo purificantur corda fide, &  
donatur uita æterna. Et quod unicus cultus  
erit, canere & prædicare gloriam & miseriam  
cordiam Dei per Euangelium.

*Q*ueis sua sit regi iungenda Ecclesia Christo,  
More Prophetarum sæcla futura canit,  
*Q*uæ sit contractura homines diuersa loquentes,  
Regni sit spaciū cuius & orbis idem.

Psalmus &amp; canticum filiorum Chorah.

Narratio, qd  
Deus amet Ec-  
clesiam, & de-  
fendat & for-  
suet.

**T**ecta Sionæ Dominus probat in clyta rupis,  
Plusquam cuncta tribus magne Iacobe tuæ.  
*I*psa etenim sanctis fundata in montibus, omnes  
Gentis ab excelsa despicit arce locum.



In te magnificis resonant oracula dictis,  
 O urbs excelsi relligiosa Dei.  
 Aegypti memor omnis ero. Babylona rependam,  
 Nomen ut incipiant noscere uelle meum.  
 Ecce Palestini, Tyrii, uetus Aethiopum gens,  
 Omnes natales hic habuere suos.  
 De sancta in toto narrabitur orbe Sione,  
 Editus hic in ea, natus & ille fuit.  
 Et quia condiderit tantam celsissimam arcem,  
 Quanta per omne æuum condita nulla fuit.  
 Vulgari faciet Dominus per regna, per urbes,  
 Quosdam natales hic habuisse suos.  
 Cantores in te discent cantare uicissim,  
 Sicut in alternis carmina læta choris.

Cultus prædicationis Euāgelij

Vocatio Gentium.

Omnes regnerantur per Euāgelium, & ununtur Ecclesie.

Solus dominus sic ædificat Ecclesiam.

Vox laudis in tabernaculis iustorum.

PSALMVS LXXXVIII.

Domine Deus salutis meæ in die,

ARGUMENTVM.

Est precatio contra tentationes conscientie, quæ ex desperatione, & mortis, ac iræ Dei sensu oriuntur. Sicut huius generis aliquot psalmi supra positi. Belle autem urget ad gloriam Dei pertinere, ne in talibus tentationibus relinquuntur animi, quia liberati gratias agunt Deo, & cum prædicant. E contra in tentationibus derelicti, blasphemant Deum.

Extremis afflictis malis pia turba precatur,  
 Dicere & hoc Christum possumus ore loqui.

N 3

Hic



Hic illos agit affectus quibus anxiamens est,  
Dum timet irati tela tremenda Dei.

Psalmus & canticum filiorum Corah Vincenti, de  
infirmirate afflicti Erudiens canticum  
Heman Efraizæ.

Propositio.

**O** Cui sola meæ cura est subiecta salutis,  
Quando ego nõ uultus cõqueror ante tuos?  
Noctes atq; dies ueneror tua numina supplex,  
Accipe placata supplicis aure preces.

Narratio in  
qua exponitur  
in calamitatẽ,  
quam compara-  
rat morti, in-  
ferno, fluctib;  
marinis.

Totus enim luctu & lacrimis consumor acerbis,  
Nec procul infernis est mea uita locis.  
Sicut ad infernas quibus est uia facta paludes  
Censeor, & uirtus quem sua deseruit.  
Præstiterat potuisse mori, quo liber ab ista  
Anxiosa uitæ conditione forem.  
Quales qui sub humo dudum iacuere sepulti,  
Quos uitæ è medio sustulit atra dies:  
Quorum nec memores, quos nec pater amplius audis,  
Qui procul à dextra procubuerunt tua.  
Immanis putei detrusus ad infima mergor,  
Obruor & tenebris, & premor ima petens.  
Ira tua incubuit misero mihi plena furoris,  
Me tua ceu totis fluctibus unda premit.  
Nulla reliquisti misero solatia, amici  
Aufugere procul, nemo propinquus adest.  
Turpem ignominiam tu me ipsis esse dedisti,  
Claudor in obscuro carcere, cassus ope.  
Afflicti mœrore oculi soluuntur iniquo,  
Languida nil udi lumina roris habent.

Te



Tetamen assiduis precibus, te uoce uocabam,  
 Sustollens humiles ad tua Templa manus.  
 Nunquid tu facies miracula lumine caesis?  
 Surget ne in laudes turba sepulta tuas?  
 Num ne tua in tacitis bonitas narrabitur urnis:  
 Num tua in extrema perditione fides?  
 Nunquid in audaces tenebrae tua facta loquentur?  
 Num tua Lethæis iura ferentur aquis?  
 Te tamen ipse frequens pater in mea uota uocauit,  
 Nulla meas ad te non uidet hora preces.  
 Cur Deus hos gemitus surda uelut aure repellis?  
 Cur mea non aliquo lumine uota uides?  
 Exul & ægra trahens uix corporis ossa caduci,  
 Desleo contemptus damna pudenda mei.  
 Nempe tuam uarijs plenam terroribus iram,  
 Tam dubitante animo quàm patiente tuli.  
 Me tuus affligit furor, & premit arida terror  
 Pectora, quæ nimia mole grauata iacent.  
 Urgent me grauibus ueluti cingentibus undis,  
 Quæ mala nec finem nec reperere modum.  
 Esse aliquem sineres qui solaret uregenum,  
 Speratum misero qui mihi ferret opem.  
 Nunc procul esse omnes fecisti, qui mea possent  
 Auxiliatrici damna leuare manu.  
 Nullus amicus adest, procul hinc abiere propinqui,  
 Non secus ac omnes nox tenebrosa tegat.

## PSALMVS LXXXIX.

Misericordias Domini in æternum.

N 4

Arguo

Narrationi  
 subijcit ratio-  
 nem ad glori-  
 am tuam perti-  
 net liberare af-  
 flictos, quæ tum  
 predicatur mi-  
 sericordia &  
 bonitas tua.  
 Redit ad preca-  
 tionem.

Hic explicat si-  
 ne figura cala-  
 mitatem suam.



## A R G V M E N T V M.

Est prophetia de Regno Christi in caelis, quod constat praedicatione Euangelij, in quo annunciatu[m] misericordia Dei & benedictio promissa Dauidi & patribus. Nota autem quod urget promissionem de semine Dauidis usq[ue] in saeculum. Nam ea non pertinet ad corporale regnum Dauidis, sed ad Christi regnum, & Ecclesiam. Nam Iudaicum & corporale regnum iam dudum cessauit, & tamen uerum est quod dicit Angelus Lucae primo: Dabit ei Dominus Deus thronum Dauid patris sui, & regnabit super domum Iacob in saecula. Hoc foedus magnifice praedicat Psalmus. Quia autem futurum erat ut propter peccata, populus Legis, in externo regno Dauidis, captiuitatibus & alijs incommodis uarie exerceretur, orat Psalmus, ut Dominus in talibus malis populum suum non omnino abijciat, & manifestam prophetiam de talibus malis ponit, & pro auxilio orat.

*Hæc quoq[ue] de Christi rata sunt praesagia regno,  
Cuius sit finem nulla datura dies.  
De Christo data Dauidi promissa reposcens  
Vastari queritur, pectora mœsta leuat.*

*Erudiens canticum Ethan Ezraita.*

*Quint*



Quam sit inexhausti bonitas diuina fauoris,  
Quanta sit æqualem non habitura fides:

Huc ades Vranie mansuro caruine dicam,

Vt sciat hæc ætas posteritasq; legat.

Quis dubitabit enim quin duratura per æuum,

Sit tua perpetua cum bonitate fides?

Cum mihi dilecto mansurum fœdus iniui.

Iurans Isaidæ non reuocanda meo.

Nunquam summa tuæ stirpis monumenta peribunt,

Aeternoq; tuum tempore semen erit.

Continuos tribuam tibi sceptrâ ferenda per annos,

Summa dies regni est nulla futura tui.

Ingentes tua testantur miracula cœli,

O Deus, & summam concio sancta fidem.

Quis uel in excelsi te nubibus æquet Olympi?

Cœlestum similis quis queat esse tibi?

Sanctorum in populo, magnus Deus, omnia circum.

Terribili quatiens assita regna manu.

Quis tibi conferri poterit Deus armipotentum,

Quo superum nemo fortior esse potest?

Quem pietas, & sancta fides, & amabile uerum

Constipant lateri proxima facta tuo.

Tu maris elati, tumidæ dominaberis undæ, †

Imperio cedunt fluctus & unda tuo.

Conteris elatum, ceu duro Marte perentum,

Robusta spargens hostica regna manu.

Cœlorum terræq; potens tua regna gubernas,

Namq; ea sunt manibus cuncta creata tuis.

Tu ualidum certis fixisti partibus orbem,

Te Boreas Dominum sentit, & aura Noti.

N 5

Te

Propositio  
psalmi, Miseri  
cordiam Do-  
mini cantabo.

Narratio, esse  
factum fœdus  
cum Dauide,  
q; Christus sit  
nasciturus ex  
familia eius, &  
inchoaturus  
nouum, spiritu-  
ale & æternum  
regnum.

Cœli.

Sicut Psalmo  
decimo nono.  
Vbiq; prædi-  
cabitur tua mi-  
sericordia, ex-  
currit autē hic  
in locum com-  
munem, & ple-  
no ore prædi-  
cat Dei poten-  
tiam, & miseri-  
cordiam tam  
uarie declara-  
tam in suo po-  
pulo, & per to-  
tum mundum.

†

Alludit ad Ae-  
gyptimiracula



Aurora.

Te Thabor occiduis uenerabitur altus ab oris,  
A radijs Hermon, aurea Diua, tuis.

Omnia tu ualida perfringes robore dextra,  
Conferri possunt brachia nulla tuis.

Iusticia dator, et iudex æquissime rerum,  
Ante tuos astant paxq; fidesq; pedes.

**Psalmus.** Felicem ò populum tibi iubila grata ferentem,  
Pro tuus his claro lumine uultus erit.

Gratulatur Ec-  
clesiæ tale reg-  
num, tam po-  
tentis Dei.

Blanda tui lætos hos nominis aura fouebit,  
Iusticiamq; ferent semper ad astra tuam.

Insignis senten-  
tia gloria torti-  
tudinis est tu-  
es. Sicut Chri-  
stus dicit: Con-  
fideite, ego uici  
mundum.

Nam sua quæ præstant soli tibi robora debent,  
Quorum uirtutis gloria solus eras.

Nostra uolens extolle potenti cornua dextra,  
Concipiant uires pectora nostra nouas.

Te quia ceu clypeo nostros deuincimus hostes,  
Sancta Israël rex gregis huius edes.

\* Tu Deus oraculum quod clara uoce dedisti,  
In sanctis olim cœtibus, illud erat.

Auxiliatorem statui qui maximus esset,  
Selectum è toto quem mihi Gente tuli.

Nam mihi morigerum inuentum Dauidica regem  
Perfusus sacro chrismate constitui.

\* Redit ad institutam narrationem de promissione Dauidi facta, quæ etsi continet promissiones regni corporalis, tamen potiora sunt ad Christum & eius spirituale regnum referenda. Sicut epistola ad Hebræos capite primo, ad Christum refert uerba hæc: Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, quæ uerba de Salomone dicuntur I. Reg. VII. Primo Paralip. XXII. In Christo enim plene & uere sunt impleta, quia natus est ex semine Dauid & Salomonis, & sedet super solium Dauid gubernans populum suum Ecclesiam uerbo.

Vt



Vt mea dextra potens ipsum tueatur, & olim  
 omnibus inuictus uiribus esse queat.  
 Non illum gladius, non opprimet hostis acerbus,  
 Me siquidem semper uindice tutus erit.  
 Quicumq; instituent ipsum subuertere, perdam,  
 Percutiamq; ipsi qui mala cunq; uolunt.  
 Is me uoce uocans Dominumq; patremq; uocabit,  
 Illi ego perpetuæ petra salutis ero.  
 Finiet Oceano regnum, ripamq; tenebit  
 Fluminis, Euphratem quem Syre uane uocant.  
 Et pietas, & certa fides mea diriget illum,  
 Fortis & in nostro nomine uictor erit.  
 Hunc ego constituam ceu primo tempore natum,  
 Et summum cunctis regibus esse ducem.  
 Perpetuo pietas mea conseruabitur ipsi,  
 Illi fida meæ fœdera pacis erunt,  
 Illius efficiam ne quis numerare nepotes,  
 Neu longæ possit posteritatis opes.  
 Illius alta diu tam stabunt culmina regni,  
 Quàm currens aliquos proferet hora dies.  
 Si tamen ipsius uenturi à stirpe minores  
 Incipiant leges deseruisse meas:  
 Si mea contemnant animo mandata rebelles,  
 Et mihi proposita prorsus abire uia.  
 Iam scelera illorum concidam uindice uirga,  
 Et grauib; plagis facta nefanda premam.  
 Non tamen hæc pietas mea dissoluetur ab ipso,  
 Nec fidei fallam fœdera pacta meæ.  
 Nec repetam quodcunq; meo de gutture uerbum  
 Exijt, baud uanum quod loquor esse sinam.

Primogeniti  
 succedebant  
 in regno.

Hec posteritas  
 nō est carnalis  
 populus, sed  
 Ecclesia cre-  
 dentium.

Peccata popu-  
 li non impedi-  
 ent promissio-  
 nem benedicti  
 seminis.

Et



Hæc omnia ni  
si ad Christum  
referas, res ar  
guit non esse  
uera, nam cor  
porale regnum  
plane cōcidit.  
Regnat autem  
Christus & re  
gnabit per Eu  
angelium usq̄  
ad consumma  
tionem sæculi.

\* Querimonia  
de incōmōdis  
populi sancti,  
quæ passurus  
erat antequam  
impleret pro  
missio de Chri  
sto. Nam pri  
mū decem tri  
bus Israel per  
Assyrium ab  
ductæ sunt, po  
stea Iudæ tri  
bus uarie dire  
pta a uicinis,  
per Babyloni  
os quoq̄ cap  
tiua abacta est.  
Ciuitas incen  
sa, & templum  
euersum. Tan  
dē Antiochus

& Romani etiam uarie afflixerunt Iudæos. Hæc sæpe dubitare fecerunt  
bonos, an ne Deus seruaturus esset promissionem factam Dauidi, sicut  
Psalmus testatur. Quidam referunt hanc prophetiam ad postrema Ec  
clesiæ tempora, quæ affligitur a Tyrannis & Pontificibus.

Et nunc diuinæ per maiestatis honorem

Iurandi dederim cum pia iura semel.

Fallere Dauidem potero ne? per omnia uiuet

Ipsius ueniens sæcula posteritas.

\* Illius imperij soliam sceptrumq̄; superbum,

Me coram magni fideris instar erit.

Hoc ipsi firmum, ceu candida Luna manebit,

Quæ cælo rerum temperat una uices.

\* Tu uerò auersans indignatusq̄; repellis,

Vncti despiciens omnia uota tui.

Nulla tibi est ratio cum seruo fœderis icti,

Illius in terram strata corona tibi est.

Omnia rupisti muris loca cinctæ, nec ullum est

Munitum quod non fregerit hostis opus.

Hunc qui prætereunt, omnes prædantur ab ipso,

Finitimis risum ludibriumq̄; suis.

Ipsius infestis firmas & uiribus auges,

Et lætos, illi qui nocuere, facis.

Certe aciem gladij retudisti, & cuncta tulisti

Robora, nec bello, nos nelut ante, iuuas.

Deiectum splendore suo non amplius ornas,

Alta prius regni, gloria repit humi.

Ante diem iuuenis præcidis tempora uitæ,

Ipsum ludibrio Gentibus esse sinis.

Quatenus ô genitor sic tete auertere perges?

Quatenus hæc aliquem non habet ira modum?



Si memor humanæ quàm sit brevis orbita uitæ,  
 Quàm sint ætatis tempora parua meæ.  
 Cur frustra fecisse uoles genus omne animantum?  
 Cur homines frustra constituisse uoles?  
 Quis precor est cui non præcidant stamina Parcæ?  
 Quem non corripiat mortis auara manus?  
 Heu ubi nunc pietas tua pristina, quam fore certam  
 Dauidi summa pactus es ipse fide?  
 Respice summe parens opprobria tanta tuorum,  
 Quæ uelut in tacito comprimo multa sinu.  
 Quis nos afficiunt & te quoq; turba malorum,  
 Quis cuncti afficiunt omnia facta tui.  
 Sit pater ô rerum tibi laus, tibi gloria soli,  
 In rebus per te tempora donec erunt.

Querimonie  
 subiicit pre-  
 cationem, ut ex-  
 hibeat Christum  
 promissum Da-  
 uidi, quia nisi  
 hoc fiat, fru-  
 stra cõditisunt  
 oēs homines,  
 solus. n. Chri-  
 stus a morte li-  
 berat.

## PSALMVS XC.

Domine refugium factus es nobis.

## ARGVMENTVM.

Initio commemorat calamitatem toti-  
 us generis humani, quod morti, & iræ Dei  
 sumus subiecti. Deinde ostendit horum ma-  
 lorum causam, peccatum scilicet originis,  
 quo natura nostra infecta est. Tandem orat  
 in genere misericordiam, ut Deus peccata  
 ignoscat, iusticiam donet & saulet.

Mortem peccati pœnamq; ab origine duci,  
 Carmina legiseri Mosos ista docent.

TAM



Tam breue uiuendi spacium pœnam esse malorum,  
Sanctus in his precibus spiritus intus inest.

Oratio Moyfi uiri Dei.

Narratio, amplifica-  
torem autem  
maiestatem di-  
uinam ut eo ma-  
ior fiat ira eius  
& calamitas  
nostra.

Commemorat  
Calamitates  
nostras, mortem  
& uitam bre-  
uem, ac uarijs  
molestijs refer-  
tam.

Insignes simili-  
tudines.

Causa istorum  
incommodorū  
peccatū, q̄ De-  
us natura sua o-  
dit, et pro his  
influxit pœnas  
mortē sc̄z cum  
alijs calamita-  
tibus.

**M**axime rex hominūq̄; parens rerumq̄; creator,  
Per quem qcqd et est, et manet, omne manet:  
Cum mala nos premerent olim labentibus annis,  
Perfugium nobis, sicut asylon, eras.  
Tu Deus ante chaos, ante omnia corpora rerum,  
Solus es, & finem non habiture, manes.  
Quam prius aërij spectarent nubila montes,  
Quam nouus innumeris funderet orbis opes.  
Corpora qui perimus uiuentum obnoxia morti,  
Post alios nasci, sicut & ante, iubes.  
Mille tuæ si quis uitae conferat annos,  
Vix erit hoc totum temporis una dies.  
Vix erit hesternæ quæ præterfluxerit horæ,  
Vix breue nocturni luminis instar erit.  
Ceum nymbo quassante rapis, prosternis, & aufers,  
Et raptos tanquam somnia uana facis.  
Quam subito amittit solitum leuis herba uigorem,  
Tam subito his mutat temporis ordo uices.  
Nam quæ mane uiget rosa lenibus alta pruinis,  
Arida uix primo uespere facta cadet.  
Sic iræ feruore tuæ consumimur, & nos  
Ante diem feruens opprimit iste furor.  
Nostra uides delicta oculo uigilante, nec ullum  
Occultum reliquis, te latuisse potest.  
Iratum quoties te nobis fecimus ipsi,  
Ceum nebulæ nostri deperiere dies.

Tam



Tam nostri tacitis labuntur cursibus anni,  
 Quam curo, quæ loquimur, uerba perire solent.  
 Viuitur humanos bis septem lustra per annos  
 Vix recte ut ualeas lustra bis octo feres.  
 Et quibus eximios quos uiuimus omne laborum  
 Et genus est miseri fata doloris habent.  
 Tam cito desinimus, tam fors hæc nostra caduca est,  
 Tam cito ceu penna præpete uita fugit.  
 Cui grauis ira, cui, cui uis est nota furoris,  
 Qui pænæ, quantum cuiq; timeris, agis.  
 Fac sine nos numerum nostrorum scire dierum,  
 Pectore ut asinus candidiore tibi.  
 Tandem quæso redi, quo sæuis usq; benignum  
 Nunc age te seruis reddere perge tuis.  
 Pectora nostra tuæ bonitatis dotibus imple,  
 Et peragent letos tempora nostra dies.  
 Imbue læticia durissima tempora passos,  
 Pluribus afflictos te patiente malis.  
 Fac nobis ostende tui decora in clyta facti,  
 Magnum te nostris omnibus esse doce.  
 Nos super irradiet Domini decor, ipsa salutis  
 Diuinæ nostros imbuat aura dies.  
 Ille opera absoluat quæ nos cunq; instituimus,  
 Omne ab eo nostrum perficiatur opus.

## PSALMVS XCI.

Qui habitat in adiutorio altissimi.

## ARGUMENTVM.

Hic Psalmus docet fidem, & est plenus  
 con-

Oratio ut pri-  
 mum Deus nos  
 seruet in ista  
 cognitione no-  
 strorum calamita-  
 tum, ne secu-  
 ri sumus & de-  
 scedamus a ti-  
 more Dei. De-  
 inde ut contra  
 ista mala medi-  
 cinam faciat, ig-  
 noscendo pec-  
 cata & donan-  
 do iusticiam ac-  
 uita. Atq; hæc  
 pars petitionis  
 includit preca-  
 tionem de ad-  
 uentu Christi.



consolationibus suauissimis, ut pijs discant in omnibus periculis se Deo curæ esse, & diuinitus regi ac gubernari. Quidam existimant eum pertinere proprie ad historiam, quæ est II. Reg. XXIII. de peste propter peccatum Dauidis immissa in populum, ut in tam subito malo & periculo haberent pijs quo se consolarentur. Laquei uenatoris sunt pestis immissa ab angelo grassatore. Quia allegoriam sequuntur, accipiunt speciem pro genere, quod significant hæc omne genus periculorum, quibus pijs expositi sunt.

*Hic sunt uera pijs solatia tradita, quorum  
In Dominum fidei pectora lumen habet.  
Confidens Domino, patiat ut omnia, tandem  
Si constet firmo pectore, saluus erit.*

Propositio,  
nullum pericu-  
lum ei nocere  
potest, qui se-  
rit se Deo curæ  
esse.  
Probat suo ex-  
emplo.  
i. Angeli pe-  
ste occidentis,  
secundo Reg.  
uigesimo quar-  
to.

Pro scuto &  
clypeo est ue-  
ritas eius.

**Q**uem pater omnipotēs dulci cōplectitur umbra  
Cui manus auxilium quodlibet ista tulit.  
Dicere hic audebit Domino, tu prima salutis  
Spes mihi, tu requies, tu mihi robur eris.  
In te tota mei iacta est fiducia cordis,  
Te duce præualida sicut in arce moror.  
Hoc duce de laqueo, uitam uenantis, abibis,  
Tutus est pœnis, uindice, liber eris.  
Is te ceu proprijs securum conteget alis,  
Obnubet uultus illius umbra tuos.  
Huius enim pietas immensa, et cura fidelis,  
Omnibus agminibus, grandinis instar, habent.



Ut neq; nocturnos possis metuiffe pauores,

Quæq; uolant claro noxia tela die.

Non etiam obscuro grassantem nomine pestem,\*

Non mala quæ media luce uenire solent.

Milia multa tuæ sternentur fulmine dextræ,

Et tua leto animas mille sinistra dabit.

Non tamen ulla tibi feret hæc incommoda clades,

Nulla nocere manus quæ tibi possit, erit.

Tu uero aspicias quas turba det impia pœnas, †

Visaq; res oculis læta erit ista tuis.

Nam sine te non est nostræ spes ulla salutis,

Summe Deum, qui me nunc facis ista loqui.

Quisquis es, hunc summum si sis tibi nactus asylum,

Omnia, crede mihi, per mala tutus eris.

Non pestis metuenda tibi est, non ulla profecto,

Quæ ueniat domui proxima plaga tuæ.

Mandatum Angelicis de te dedit ille ministris,

Vt sint custodes per loca cuncta tui.

Vt te sustollant manibus quocunq; feraris,

Ne summos lædas per salebrosa pedes.

Aspida somniferam super, & uirtute leonem,

Præualida fultum, uictor habebis iter.

Tu potes indomitos catulos calcare leonum,

Te contra igniuomo non ualet ore draco.

\* Hic exponit quod ante figurate dixit. Et uidentur tantum hoc dicere, Deus te defendet a peste die & noctu, ut pavor noctis, & pestis in tenebris idem sint. Item sagittæ diei, & malum meridianum, hoc enim usitatum prophetis est, ut quod antea allegorice dixerunt, postea sine allegoria simpliciter dicant.

\* Sententia est, si mille ab uno latere, & decem millia ab altero latere cadant, tu tamen in medio grassantis pestis eris tutus, quia Deus te curat.

† Propter impios grassatur malum hoc.

Locus de ministerio Angelorum.

Hæc etiam uidentur allegorica esse q. d. Non nocebunt tibi, quæ tamē sua natura nihil possunt, q̄ nocere homini.



Causa promissum, quod  
Deus non potest  
desse his qui sperant  
su per misericordia  
eius, et fiducia  
misericordie orant  
pro liberatione.

*Me siquidem, Deus inquit, amat, bona largiar illi,  
Omnia ut expediens per mala uictor eat.  
Nam quia cognouit qua sim pietate, quibusq;  
Viribus, haud ullis uiribus ille cadet.  
Me uocat ille, mihi libet exaudire uocantem,  
Robur in aduersis sentiet ille meum.  
Cuncta mala auertens ab eo bona cuncta tuebor,  
Ipsius hinc clarum gloria nomen erit.  
Hunc ego longæuos faciam superesse per annos,  
Illi plena meæ uita salutis erit.*

## PSALMVS XCII.

Bonum est confiteri Domino, &amp;c.

## ARGUMENTVM.

Est plena consolationis gratiarum actio  
pro benignitate Dei, qui bonos & Ecclesiam  
seruat, malos autem, quantumuis floreat,  
perdit.

*Exultans animo diuini oracula uerbi,  
Gaudet, & effertur cognita facta sibi.  
Namq; fide nouisse Deum uerboq; uideri,  
Cultus hic est ipsum maximus ante Deum.*

*Ps. 92.  
Merito prædi  
cantur Dei o-  
pera.*

**C**ommoda res & pulcra Deū celebrare potentē  
Garminaq; excelso psallere multa patri.  
Ut tua summa pater bonitas memoretur ad ortum  
Lucis, & ut noctu sit tua nocta fides.  
Ut tua cantemus dulci præconia nablo,  
Et Cithara cordis te resonante decem.

Totus



Totus enim ceu læticia rapiente fluebam,  
 Quando opera aspicio quæ tua dextra facit.  
 Totus adhuc contemplantis lætabor in illis,  
 Quæ tam magna tuæ constituere manus.  
 Quam sunt magna Deus quæ tu facis omnia? quæ sunt  
 Intima consilij non penetranda tui?  
 Talia desipiens ignorat inertia, nec dum  
 Pectore qui toto nil sapit, ista uidet.  
 Impius in morem florescit inutilis herba,  
 Quo sceleratus homo floreat omnis habet.  
 Scilicet ut totus uita euacuetur ab ista,  
 Et reuocare ipsum sæcula nulla queant.  
 Tu tamen ô, superum rector celsissimus, orbis  
 Maius in hac fabrica, te nihil esse potest.  
 Ecce tui pereunt hostes Deus ecce peribunt,  
 Quorum dextra nocens, uita scelestæ fuit.  
 At mea tu firmans attolles cornua in altum,  
 Sicut cornigeræ cornua sola feræ.  
 Iam mihi perfusus succo fragrantis oliuæ,  
 Iam uideor fuso nectare floridior.  
 Gaudebunt mea cum spectabunt lumina pœnas,  
 Quas luet hostis atrox, qui mihi damna tulit.  
 Læticia mea tunc saliet, quando audiet auris  
 Insidiatores interijisse meos.  
 Iustus ut æriæ florebit brachia palmæ,  
 Crescet ut in Lybani collibus alta Cedrus.  
 Inseti in Domini templo quicunq; uirescunt,  
 Atria florebut per speciosa Dei.  
 Quin etiam uiridem ducent in flore senectam,  
 Pinguis in ipsorum corpore succus erit.

O 2

Vt

Narratio operum Dei, quod sanctorum curam agit, malos autem odit & perdit.

Ecclesiæ promissiones.

Etiam si mundus opprimere eum conabitur, tamen asurget ut palma contra molem, & late diffunde tramos benedictionis.



*Vt sit nota Dei bonitas, nostræq; salutis  
Gloria, cui pravi nullius ulla nota est.*

## PSALMVS XCIII.

**Dominus regnauit, decorem indu.**

## ARGVMENTVM.

Prophetia est de Regno Christi per totū mundum, & de furore mundi, conantis frustra hoc regnum abolere. Magnifice autem commendat doctrinam Euangelij, qua regnum hoc constituitur, quod & certa sit, & ornet Ecclesiam sanctitate, sicut Christus dicit Ioan. XV: Vos estis mundi propter sermonem quem dixi uobis.

*Sceptra triumphanti deberi maxima Christo,  
Quam late rerum tenditur omne genus.  
Huic tamen assurgent regno regna omnia mundi,  
Namq; hoc perpetuo stabit, at illa cadent.*

Narratio, Christus regnat per Euangelium.

**S**ceptra manu Dominus conquassans regia forti  
Et decus & pompas induit ipse sibi.

Significat hoc regnum non in uno angulo Iudææ, sed in toto orbe esse.

Germanica translatio sententiam melius reddit.

*Præualidus multo succinctus robore uictor,  
Magnificos cultus induit ipse sibi.  
Terrarum tantis fulciuit uiribus orbem,  
Amplius ut iam non ulla mouere queat.  
Iam sedes firmata tua inde ab origine rerum est,  
Qui sine principio es, qui sine fine manes.  
Insonuere procul fluuij, sonuere procellæ,  
Concita terrifragis fluctibus unda fremit.*



At strepitu immani rupti maris omnibus oris,  
 Fortior ex alto est qui regit ista Deus.  
 Plena fide tua sunt oracula sancta, nec ulla est  
 Quæ domui par sit facta decora tuæ.  
 Perpetuos tua sancta domus durabit in annos,  
 Extremum hinc referent sæcula nulla diem.

## PSALMVS XCIIII.

Deus ultionum Dominus Deus  
 us ultionum.

## ARGVMENTVM.

Est precatio contra Ecclesiæ hostes, quos  
 grauitè accusat, quod sua doctrina nihil ali-  
 ud faciunt, quam ut excarnificent bonos, &  
 occidant, ac minatur eis iudicium Dei cer-  
 nentis ista scelera. Consolatur autem Eccle-  
 siam, sic in mundo afflictam, futurum ut ipsa  
 seruetur, hostes autem eius pereant. Quo-  
 rum sedem, hoc est, doctrinam & uitam non  
 potest probare Deus.

Qui falsos adhibent pietatis imagine cultus,  
 Interea iustis pessima quæq; struunt.  
 Hos contra precibus nunc utitur, optat ut omnes  
 Absistant uero, quod sit, ut esse queat.

**V**ltor ades scelerum, scelerum Deus ultor adesto,  
 Iam tandem miseris conspiciende ueni.  
 Terrarum iudex attollere, redde superbis  
 Digna, precor, factis quæ meruere suis.

Propositio p-  
 cationis, ut De-  
 us hostes suæ  
 Ecclesiæ iudi-  
 cet.

O 3

Quo



Narratio. Quo tandem usq; malis sic omnia prospera cedent?  
 Quo tandem usq; mali gaudia plena ferent?  
 Doctrinam accusat. Quam iactata diu per uastum uerba loquentur?  
 Qui quaecunq; gerunt, omnia iniqua gerunt.  
 Tyrannidem accusat. Haeredem populum tibi, turba aliena, trucidant,  
 Audaci irrumpunt in tua regna manu.  
 Occidunt uiduas, rabiem nec in hospite fistunt,  
 Pupillos aliquo non prohibente necant.  
 Securitatem accusat. Talia patrantes secum meditantur & audent  
 Dicere, nec sentit, nec uidet ista Deus.  
 Minatur iudicium Dei, nolite decipi, deus uidet uestra scelerata.  
 O stupidi è populo tandem respiscite: quando hoc  
 O fatui, tempus, quo sapiatis, erit?  
 Nonne audire putas aliquid qui condidit aurem?  
 Quiq; oculum finxit, nonne uidere queat?  
 Qui totas Gentes castigat & erudit omnes,  
 Arbitrio non uos arguat ille suo?  
 Omnipotens hominum sensus, & pectora nouit  
 Vana esse, & sanæ mentis habere nihil.  
 Obiurgationi subiicit consolationem, quam Ecclesiam afflictam erigit.  
 Felicem quem tu doceas, cui pectora firmes  
 O genitor, legis cognitione tuæ.  
 Viuere quo possit tranquillus tempore duro,  
 Dum foueam reproba debita fata parent.  
 Non etenim Deus abijciet quos diligit, & nec  
 Haeredes regni deseret ipse sui.  
 Iudicium si quidem rursus redigetur ad æquum,  
 Huic aderunt comites qui pia quæq; probant.  
 Addit suum exemplum, tanquam probationem consolationis.  
 Quis feret auxilium? quis mecum stabit, ut hostem  
 Non metuam? quis me qui tueatur erit?  
 Quod nisi me Dominus seruasset, ad alta silentium,  
 Hæc, loca, iam dudum uita sepulta foret.

sed



Sed quoties animo mihi defecisse uidebar,  
 Huc toties pietas me tua restituit.  
 Cum nimio grauium curarum inuoluerer aestu,  
 Lenimen bonitas mi tua dulce fuit.  
 Num commune tibi est aliquid cum Gente maligna,  
 Quæ solum diræ pestilitatis habet?  
 Quæ solet afflictis falsuras neccere fraudes,  
 Et specie ueri scandala falsa loqui.  
 Concurfant falso damnantes crimine iustum,  
 Nec pudet innocui sanguinis esse reos.  
 At Dominus mihi defensor, saluator & idem,  
 Arcis & inuictæ turris & instar erit.  
 Ille malis mala reddet, iniqua repondet iniquis,  
 Præmia ab hoc factis iudice digna ferent.  
 Illos disperdet Dominus quia multa patrârunt  
 Impia, disperdet castra inimica Deus.

Bonitatem uo-  
 cat uerbum, q̄  
 hortatur ad pa-  
 tientiam, & p-  
 mittit liberati-  
 onem.

## PSALMVS XCV.

Venite exultemus Domino, iubilem.

## ARGUMENTVM.

Est exhortatio, ut fide amplectamur  
 Christum & uerbum eius, quem dicit crea-  
 torem & doctorem nostrum esse, nosq; o-  
 ues eius. Epistola ad Hæbreos magnifice  
 hunc Psalmum tractat. Additum autem est,  
 sicut in adhortationibus solet, exemplum  
 populi Iudaici, qui pœnas incredulitatis  
 dedit, & ideo non potuit intrare terram  
 Canaan, ita nos si Christum non audie-  
 rimus,

O 4

rimus.



rimus, non intraturos æternam quietem.

Hic Dominum populis Christum canit esse futurum,  
Et testamenti tempora sancta noui.

Hic Deus est, cui nos decet exultare, quod ille est,  
Promissum nobis quem sacra scripta docent.

Exordium  
ΠΑΘΗΤΙΚΟΥ  
quo inuitat Ec-  
clesiam ad gra-  
tiam actionem  
& laudes.

Narratio, in  
qua describit  
nobis Christū  
creatorem, De-  
um & Docto-  
rem nostrum.

Est deus noster

Nos sumus ei-  
us populus.  
Propositio, Er-  
go Dei & crea-  
toris uestri uer-  
bum humili a-  
nimo accipite.

Addit rationē  
ab exemplo.  
Si non credide-  
ritis, peribitis.

**E**ta agite ex animo Domino exultemus ouantes,  
Qui solus nostræ iura salutis habet.

Dulcia gratifico fundamus iubila cantu,  
Aequent hymnisonum carmina blanda melos.

Ante ipsum gratos nos comparere decorum est,  
Laudibus & meritis accumulare patrem.

Magnus enim Dominus Deus est, rex maximus idem  
Ille Deūm, quotquot fabula uana canit.

Cuius in arbitrio sunt intima uiscera terræ,  
Culmina præcelsis montibus ille dedit.

Cærule latiuagi fundauit marmora ponti,  
Quicquid & hæc extra continet omne solum.

Hunc ut adorantes igitur uenemur adeste,  
Suppliciter proni simus ut ante Deum.

Ante Deum qui nos tales, qui cuncta creauit,  
Ut Deus ipse, quod est, noster, id esse uelit.

Nos ipsi populus sua quem per pascua nutrit,  
Et grex munifica quem regit ipse manu.

Ille quidem pastor uobis, modo iussa ferentem  
Ipsius & uoce audieritis erit.

Duricie rigida ne cor constringite uestrum,  
Sicut in exhausto per loca uasta situ.

Per loca quæ uestri me tentauere parentes,  
Videruntq; manus facta stupenda meæ.

Nam



Nam quia me toties explorauere rebelles,  
 Facta etiam dextræ sustinere meæ.  
 Hoc cum pertæsus lustris genus octo fuisset,  
 Errantes sensi nec mea iussa sequi.  
 Iuravi tandem iratus, non ergo uidebunt  
 Quæ tranquilla ipsis regna daturus eram.

## PSALMVS XCVI.

Cantate Domino canticum nouum.

## ARGUMENTVM.

Est idem argumentum cum præcedenti  
 Psalmo. Est enim prophetia de regno Chri-  
 sti spargendo in totum orbem, & inter om-  
 nes gentes. Et hortatur ad gratiarum actio-  
 nem, quæ consistit in oblatione munerum,  
 hoc est, sicut ipse exponit, in timore Dei, in  
 adoratione & prædicatione nominis eius,  
 quod Christus sit rex, qui iudicet in iusticia,  
 hoc est, peccata condonet & iustificet.

Prædicit regnaturum super omnia Christum,  
 Dandum Euangelij Gentibus esse diem.  
 Hoc feret æternæ letissima nuncia pacis,  
 Quo duce per Christum libera turba sumus.

**I**n noua uocales dissoluite carmina linguas,  
 Et canite excelsio iubila grata Deo.  
 Quicumq; incolitis conuexæ climata terræ,  
 Laudibus assiduis, dicite, ferte Deum.

Propositio.  
 Laudate Do-  
 minum.

O. 5. Dicia



Dicite quam tribuit nobis sine fine salutem,  
Laudibus his debet nulla uacare dies.

Ipsius in toto populi miracula cœtu,  
Gentibus externis commemorate decus.

Magnus enim Deus est & laude celebrior omni,  
Terribilisq; alios quoslibet ante Deos.

Nam statuae, non uera Deum sunt numina, uanis  
Gentibus, at noster condidit astra Deus.

Ipsius ante oculos decus est, & splendor honorum,  
Summaq; maiestas, robur & eximium.

O populi cunctaq; tribus, date munera laudum,  
Cedite uirtutes, & decus omne Deo.

Ipsi debetur soli omnipotentia iustum

Ipsius hoc munus nominis esse potest.

Arripite ergo alacres tam munera digna potenti,

Ipsius & propere pergite adire fores.

Ferte preces Domino magni intra lumina templi,

Terribilem metuant omnia regna Deum.

Gentibus euulgate, tribus narrate per omnes,

Solus habet rerum sceptrum suprema Deus.

Robore qui tanto terrarum condidit orbem,

Vt nequeat uirtus ulla mouere loco.

Legibus æquatis populos qui iudicat omnes,

Hunc merito Dominum cuncta creata uocant.

Concipiant præsentem Deo noua gaudia cœli,

Læticia exiliat terra beata noua.

Horrida commoti tollant se murmura ponti,

Et quæcunq; in eo cœrula monstra natant.

Rideat omnis ager, campi latentur ouantes,

Et quæcunq; in eis gramina lacta uirent.

Ratio propo-  
sitionis, quia est  
Deus, qui stabi-  
le regnum insti-  
tuit cōtra pec-  
catum et Satha-  
nam.

Repetit propo-  
sitionem, & uo-  
ta, uult in hoc  
regno nō homi-  
num, sed Dei  
nomen & uires  
prædicari.

Hic exponit  
munera.

Sicut supra ps.  
xciiij. Est autē  
sententia, q̄ re-  
gnū hoc sit fir-  
matum per to-  
tum orbem.

Insignia.

Ⓜ.ⓐ.Ⓜ.



Lati triumphantes emittant iubila siluæ,  
 Leticie pompam quælibet arbor agat.  
 Nam uenit ecce Deus, uenit hunc ut iudicet orbem,  
 Iustum iudicium iudicis huius erit.  
 Diriget æquatis terrarum legibus orbem,  
 Et fida populos dexteritate reget.

Iudiciū est doctrina Euangelij, quæ est potentia Dei ad salutem omni credenti.

## PSALMVS XCVII.

Dominus regnauit, exultet terra.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi, sicut prior Psalmus. Ostendit autem hic duplicem huius regni administrationem: Pijs est regnum in nubibus firmatū iusticia & iudicio, hoc est regnum fidei, remissionis peccatorum & defensionis. Impijs autem est regnū ignis consumentis. Quare hortatur pijs ad regnum hoc in sanctitate amplectendum, & promittit in cruce liberationem.

Quod Gentes Christus regnū est habiturus in omnes  
 Psalmographi uatis sancta Thalia monet.  
 Spiritus hoc regnum statuet, quod est ardua mundi  
 Concutiet, uerbi uero dominante sui.

**S**umma manu Dominus cæpit moderamina rerū,  
 Terreni exultent omnia regna globi.  
 Omnis ab allapso quæ clauditur insula ponto  
 Lata sit, & latos gaudeat ire dies.

Narratio, in qua describit regnū Christi, quod credentibus est regnū salutis. Non credentibus autem regnum perditionis.

Nubi-



Fides est rerū  
non uisibilem

Nubibus & circum caligine septus opaca est,  
Ipsius ante thronum ius stat, & alma fides.  
Ignis edax ipsum præcedit, & omnia uastat,  
Quæ per circuitum perfidus hostis habet.  
Ipsius illuxere iacenti fulgura terræ,  
Vidit & expauit quicquid in orbe fuit.  
Ante Dei faciem montes fluxere liquentes,  
Non secus ac flammis addita cera solet.  
Nec mirum, Dominus quia condidit omnia solus,  
Et solus toto regnat in orbe Deus.

Sicut Psalmo  
XIX. ubiq; an  
nunciatur iusti  
cia eius.

Πάθκ.

Euangelii Ido  
latriam pellit.

Repetit causam  
gaudij.

Adhortatio  
ad regni huius  
subditos.  
Significat cruce  
m & promittit  
defensionē.

ἐπιφώνημα

Iusticiam ipsius cæli testantur, & omnes  
Cætus, maiestas quanta sit ista uident.  
Erubeant qui uana colunt idola, suisq;  
Sculptilibus miseri numen messe putant.  
Huic uni genua ò reliqui submittite diui  
O reliqui, tantum nomina uana Dei.  
Audyt ista Sion & mox noua gaudia sensit,  
Gentis Iudææ concio læta fuit.  
Nam quia iudicijs populos moderatus es æquis,  
Læticiæ series omnibus una fuit.  
Nam tua sceptrâ pater super omnia regna tulisti,  
Subdita sunt pedibus numina cuncta tuis.  
Qui Dominum colitis uere, & constanter amatis,  
Omnia habete odio semina fœda mali.  
Is sibi fidentes animas custodit, ab omni  
Hostili insultu liberat ille suos.  
Prodita lux iusto est, & qui sunt pectore recto,  
Læticiæ fructu non caruere suæ.  
In Domino gaudete boni, memoresq; referte,  
Tam sancta grates pro pietate Deo.

Psalmus



## Cantate Domino canticum nouum.

## ARGVMENTVM.

Est suauissimus Psalmus plane eodem argumento cum prioribus. Prædicat enim uictoriam Christi contra peccatum & Sathanam, qua nobis salutem peperit, & hortatur ad gratiarum actionem.

De Christo deq; imperio quod proferebat orbi,  
Hic quoq; ferme eadem, quæ tulit ante, canit.  
Exultare Deo, lætari, dicere grates,  
Proq; data laudes ferre salute, monet.

Psalmus.

**C**Armina læta nouis Domino cantate Camænis,  
Cuius mira operum cuncta creata stupent.

Multa salutaris dextra admiranda peregit,

Ipsius immensum brachia robur habent.

Ipsæ suam Dominus notam dedit esse salutem,

Signa q; iusticiæ non adoperta suæ.

Israëliacæ domui promissa reuoluens,

Iusticiæ cæpit commemorasse suæ.

Vt Domini uideant terrarum regna salutem,

Omnia quæ summa Phœbus ab arce uidet.

Læta omnes ubicunq; Deo date iubila terræ,

Psallite carminibus, plaudite uoce, manu.

Dulcisona Dominum Cithara laudate canentes,

Addite ad argutam uerba canora chelym.

Clangia

Propositio.

Narratio, qd regnum sit gratiæ & ueritatis, sicut patribus promissus Deus.

Repetit propositionem & addit suauia  
ωάθκ.



Clangite uoce Tubæ resona, noua iubila Reni  
 Tollite, det letos Buccina rauca modos.  
 Diffona collifis mare murmura fluctibus edat,  
 Ipsius & quicquid uasta lacuna tenet.  
 Totius exultent culta, inculta omnia terræ,  
 Quicquid & hæc rerum continet alma parens.  
 Flumina, ceu iunctis manibus, simul omnia plaudant,  
 Vnanimi montes carmina uoce sonent.  
 Nam uenit ut totum regat æquis legibus orbem,  
 Arbitrio ut Dominus iudicet ipse suo.  
 Iusticiam ipse suam terras diffundet in omne,  
 Et populos æqua conditione reget.

Repetit benefi-  
 cium Euangelij.

## PSALMVS XCIX.

Dominus regnauit irascantur  
 populi.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio pro regno, uerbo, &  
 cultu in populo Dei, ac hortatur, non ad sa-  
 crificia, sed ad gratiarum actionem. Non in  
 commode transfertur ad regnum Euange-  
 lij in mundo, ut sit idem argumentum cum  
 superioribus.

In Dominum seruanda fides, hic laude colendus,  
 Quamuis & Gentes totaꝫ regna fremant.  
 Nec populo Iudæa tuo qui sanctus agebat,  
 Nobis nota satis uerba Propheta canit.

Aetern



**A** Eternū omnipotens exercet in omnia regnum,  
 Turba nouo populi mota furore fremunt.  
 Qui super alatum Cherub insidet omnia spectans,  
 Commouit nutu terrea regna suo.

Maximus excelsa regnator in arce Sionis,  
 In populos omnes maxima sceptrā gerit.

Nominis ergo tui magni fateantur honorem  
 Omnia, quo nullum sanctius esse potest.

Iudicium, uirtute potens rex, diligit æquum,  
 Tu bona cuncta, manu ceu famulante, tenes.

Nec nisi recta facis, nisi tantum iusta subornas,  
 Quam late imperium dux Iacobus habet.

Laudibus exaltate Deum super omnia nostrum,  
 Curuati sanctos ipsius ante pedes.

A sacris fuerant Moses, & clarus Aaron,  
 Et Samuel, summo nomina grata Deo.

Omnes hi Dominum quoties in uota uocârunt  
 Audyt, & pondus iussit habere preces.

Hos fuit affari solitus de nube columna,  
 Non etenim leges transfiliere datas.

Tu Deus illorum uoces & uerba tulisti,  
 Et pius audisti qualiacunq; forent.

His tua nota etiam fuit indulgentia, si qua  
 Consilia ipsorum displicuere tibi.

Magnificate Deum nostrum, simul ipsius altum  
 Nomen adorantes magnificate Deum.

Nomen adorantes sanctum conscendite montem  
 Ipsius, est etenim sanctus & ipse Deus.

Narratio, qđ  
 cultum Dei fo-  
 lus populus Is-  
 rael habeat, &  
 ideo Gentes  
 cum oderint.

Propositio,  
 qua hortatur  
 ad gratiarum  
 acionem.

Magnum bene-  
 ficium, qđ hu-  
 ic populo de-  
 dit sanctos ma-  
 gistratus & sa-  
 cerdotes.

Repetit propo-  
 sitionem.

Psalmus



## Iubilate Deo omnis terra, seruite.

## ARGVMENTVM.

Est breuis sed suauissimus Psalmus, simili argumento cum superioribus. Hortatur enim ad gratiarum actionem, & prædicat Christum esse Deum, Creatorem & Dominum nostrum clementem, & æternæ misericordiæ. Obseruabis autem in similibus Psalmis, ubi ad gratiarum actionem & cultus noui Testamenti hortatur, significari occulte abrogationem cultuum Legis.

*Christum laude noua uenerari, iubila Christo  
Dicere, læticiæ signa mouere iubet.  
Nempe Euangelio ueniæ spes certa renascens,  
Hoc stabilis regnum, quod sine fine manet.*

Psalmus in confessione.

Propositio, ut etiam gentes laudent Deum  
Narratio, in qua exponit causam, nempe beneficia Christi in nos.

**O**Mnia qui magnæ colitis loca peruia terra,  
Tollite uiuenti iubila clara Deo.  
Lætantes seruite Deo, cum stabitis autem  
Tota alacris facies uestra sit ante Deum.  
Hunc tamen esse Deum cognoscite, nempe creati  
Ipsius, haud nostra de ratione sumus.  
Ipsè suum populum faciens nos, fecit ut essent,  
Quas uelut indulgens pasceret autor oues.  
Ipsius intrantes portas, ante omnia grates  
Dicite, laudantes nomen ubiq; Dei.

Nam



*Nam bonus est Dominus, nec desinet esse quod audit,  
Ipsius est finem non habitura fides.*

PSALMVS CI.

Misericordiam & iudicium can-  
tabo tibi.

ARGVMENTVM.

Est Oeconomicus Psalmus, proponit enim Dauid suum exemplum, quomodo aulam suam constituerit, & quorū hominum opera utatur ad res agendas, sed exemplum eius docet, quantum odium hac diligentia & studio apud suos sibi conciliarit. Nominat autem hic præcipua Aulicorum vitia, quod sint peruersi, maledici, arrogantes, mendaces, indulgentes cupiditatibus &c.

*Quales non liceat nec fas sit habere ministros  
Regibus, exemplo prædicat ipse suo.  
Quales præcipue Regum uersantur in aulis,  
Consilijs semper noxia turba bonis.*

Psalmus Dauid.

**C**Arminis huius erūt bonitas mihi pōdus et æquū,  
Mi Deus imprimis te mea musa canet.  
Simplicis inconcussa uicæ uestigia carpam,  
Quando erit ut uenias, & mea cœpta iuues?  
Perfecto mea tota domus mihi corde regetur,  
In mentem ueniet res mala nulla mihi.

**Propositio**  
seu summa psal-  
mi, cantabo quomodo ego bonitate & iudicio administro regnum meum

P

Sectana



Hæc. f. in aulis  
sunt communif  
sima.

Sectantem peruersa odi, nec aduniar illi,  
Secta comes lateri non erit ista meo.  
Flagitijs animus fractus procul inde faceffet,  
Nec leuis agnoscam facta maligna uiri.  
Qui uolet absentum uerbis traducere uitam,  
Hunc ego si possem perdere, certus ero.  
Ora supercilijs turgentem inflata superbis,  
Non aliquid mecum sortis habere feram.  
Observo si quos possim reperire fideles,  
Ut faciam partem sortis habere meæ.  
Simplicis ingenuo uitæ candore probatus,  
Ille mihi ex omni parte minister erit.  
Qui uarijs falso concinnat pectore fraudes,  
Sit procul hinc, mecum non locus ullus erit.  
At qui uana leui loquitur mendacia lingua,  
Ante oculos stabilis non erit ille meos.  
Tempore cuncta breui tollam impia facta malorum,  
Amplius omne scelus ne sit in urbe Dei.

Hoc Principi  
debat esse  
studium.

Hoc est, non  
habebit succes  
sum.

## PSALMVS. CII.

Domine exaudi orationem meam.

## ARGVMENTVM.

Est insignis Psalmus in persona Ecclesiæ  
ueteris Testamenti, sentientis peccatum &  
iram Dei, ac ideo moerentis ac suspirantis re  
gnum Christi, quod remissionem peccato  
rum ac liberationem a morte erat allaturus.  
Magnifice autem prædicat bonitatem Dei  
audientis afflictos, & miserentis.

Afflicti



Afflicti gemitus & suspirantis ad ipsum  
 Qui redimat, fletu est plena querela pio.  
 optat ut adueniat promissi gratia regni,  
 Peccati nimia mens pia mole grauis.

Oratio afflicti, cum mœsto esset animo, & cor-  
 ram Deo effunderet precatio-  
 nem suam.

**R**espice summe parens consolatoris egentem  
 Hunc animum, & fletus accipe uerba mei.  
 Audi uerba, cruces animi testantia, pectus  
 O utinam moueat nostra querela tuum.  
 Ab ne auerte tuos à me mitissime uultus,  
 Ne ueluti ignotum reijce quæso pater.  
 Quin potius dum dura premunt me tempora fletus,  
 Exaudi, & misero, nam potes, affer opem.  
 Nam mea uita leues abiit ceu fumus in auras,  
 Vsta, uelut torris, corporis ossa iacent.  
 Deiectum est cor triste meum, ceu gramen, & aret,  
 Sumq; fere potus immemor atq; cibi.  
 Sic ego nam misere fletu consumor acerbo,  
 Ut sua deficiens uix trahat ossa cutis.  
 Factus Onocrotalo similis deserta colenti,  
 Instar soliuagæ Nycticoracis eram.  
 Insomnes duco noctes ceu culmine tecti  
 Quæ sedet, & socij nescia, mæret auis.  
 In me crebra ferox conuicia congerit hostis,  
 Risores iurant per mala nostra uiri.  
 Nam cinis est pro pane mihi, pro polline puluis,  
 Assiduo fletu pocula mista bibo.

Propositio: Iu-  
 ua nos per ad-  
 uentū filij lesa

Narratio, in  
 qua graphice  
 dipingit dolo-  
 res animi, quos  
 sensus peccati  
 & iræ Dei con-  
 citat.

Id est, fumus  
 deserti nec pos-  
 fumus quiesce-  
 re.



Hic exponit  
causam dolo-  
rum.

In caussa ira tua est atq; indignatio, nam me  
Tollis, & elatum de ijs inde loco.  
Quos uiuo uelut umbra dies tenuantur in auris,  
Et mea, ceu scenum, languit ægra caro.

Hic redit ad  
precationē, &  
exponit quid  
uelit: Christiū  
mitte.

Tu uerò tu cuncta manes per tempora solus,  
Nulla ætas poterit non memor esse tui.  
Tu pater exurgens miserebere magne Sionis,  
Tempus enim, cura iam quod egebat, adest.  
Tempus ut accipiat solitam, te dante salutem,  
Hanc rogo differri ne patiare diu.

Vocatio Gen-  
tium.

Certus de ex-  
audita oratio-  
ne, excurrit in  
prædicationē  
misericordie.

Illius arx etenim lapides atq; edita rupes,  
Omnia supplicibus complacere tuis.  
Inde etiam cunctæ metuent tua nomina Gentes,  
Et tua principibus gloria terror erit.  
Nam Deus ædificat celsæ præclara Sionis  
Mœnia, & apparet magnus in arce sua.  
Exulis à precibus non est auersus egeni,  
Et prona miseros audijt aure loqui.  
Tam bona temporibus scribetur fama futuris,  
Digna sub æterna posteritate legi:  
Ut sciat hæc populus post sæcula longa futurus,  
Et magno tantum prædicet ore Deum.

Beneficiū Chri-  
sti, a morte li-  
berare.

Prospicit ingentis sublimi è uertice cæli,  
Aspicit hæc pedibus subdita regna suis.  
Audiat ut gemitus Deus impia uincula passi,  
Liberet & mortis quos tulit atra manus.  
Ipsius ut laudes fateantur in arce Sionis,

Cultus qui pro  
hoc beneficio  
redditur Deo.

Et magnum Solymis nomen in urbe canant.  
Tunc ubi conuenient populi cætusq; frequentes,  
Et regna ut Dominum per loca quæq; colant.

Omnia



Omnia in hoc uitæ afflixit mea robora cursu,  
 Esse dedit uitæ tempora pauca meæ.  
 Mi Deus è medio ne me aufer tempore uitæ,  
 Mors est ætati nulla futura tuæ.  
 Tu pridem stabilis fundasti pondera terræ,  
 Ante tuæ cælos composuere manus.  
 Ipsi mutata tandem statione peribunt,  
 Si iubeas, uerum tu sine fine manes.  
 Non secus ac uestis ueterascent omnia, postquam  
 Verteris ut uestem, mox retro uersa cadent.  
 Tu similis tibi perpetuo, tu semper es idem,  
 Deficient annis tempora nulla tuis.  
 Et famulis nascenda tuis mansura progago est,  
 Et genus hoc longo tempore perpes erit.

Redit ad pre-  
 cationem.

Ecclesia.

## PSALMVS CIII.

Benedic anima mea Domino &c.

## ARGUMENTVM.

Est insignis Psalmus, in quo agit Deo gra-  
 tias pro omnibus beneficijs spiritualibus &  
 corporalibus, quod cōdonat peccata, quod  
 uitam tuetur, quod consolatur, quod defen-  
 dit, quod uerbū dat, quod ignoscit. In fine  
 addit prophetiam de Regno Christi, quod  
 hæc in nouo Testamento per Apostolos in  
 tota orbe palam prædicabuntur.

Grata Deo mens est quæ se debere fatetur,  
 Quicquid habet, quicquid possidet, omne Deo.

P 3

Vita



Vita, salus, spes, pax, requies, uis omnis ab illo est,  
Omnibus his gratus quis satis esse queat?

Psalmus Dauid.

Propositio.

**T**Ota age uis animæ nostræ dissoluere, totam  
Te, in Domini laudes, dissoluisse decet.

Omnes hoc ægro quæ sunt in corpore uires,  
Laudent immensi nomina sancta Dei.

Diurnas iterum toto cane pectore laudes,

Mens mea quæ sedem corporis huius habes.

Et noli non esse memor quia rettulit olim,

Sed non pro meritis munera tanta tuis.

\* Qui tibi cuncta uolens peccata remittit, & idem

Qui tua præsentis uulnera sanat ope.

Qui te seruat ab interitu, qui dotibus ornat,

Mirificis uitæ tempora cuncta tuæ.

Qui larga satiare tuum bonitate palatum,

Et quæcumq; uoles munera ferre potest.

Qui reddit tibi more aquilæ iam debilis æuo

Acta iuuentutis tempora uerna tuæ.

Vindicat oppressos Deus, & non digna ferentes

Asserit, & saluis uiribus esse facit.

Ipsæ suas Mosén uoluit cognoscere leges,

Dextræ Israël facta stupenda suæ.

Et pius & plenus Deus est bonitate, nec ira

Præcipiti, ad ueniam pronior esse solet.

Pauca nec in multis exercet iurgia rebus,

Longior haud illi causa furoris erit.

Non pro criminibus nobiscum agit ille peractis,

Nec mala pro nostris reddidit ulla malis.

\*  
Remissio pec-  
catorum.

Narratio, in  
qua commemo-  
rat beneficia,  
pro quibus gra-  
tias agit.

Vita.

Virtus.

Incolunitas.

Defensio.

Verbum.

Ignoscentia.

Hoc beneficiū

ceteris ante-

fert & copio-

sus prædicat.

quod non secundū

peccata nostra

retribuit no-

bis Deus, sed

ignoscit.

Quam



Quam superant humiles caelestia sidera terras,  
 Tam Domini bonitas extulit ista pios.  
 Longius à nobis peccata is nostra remouit,  
 Quam sit ab Occasu Diua pudoricolor.  
 Ut pater errantes reuocat sua pignora natos,  
 Sic pronam timidis fert miseratus opem.  
 Nouit enim uili quam simus origine ducti,  
 Et nisi quod simus puluis & umbra nihil.  
 Est homo persimilis fœno per prata uirenti,  
 Ut breuis in pingui quæ Rosa floret agro:  
 Quam simul attigerint urentis flamma uenti,  
 Aret, & exiguo uicta calore iacet.  
 At Domini bonitas sine fine his certa manebit,  
 Tam fidum ex animo qui timuere patrem.  
 Ipsius immoto qui seruant fœdera pacto,  
 Iussaq; sincera mente tulere sequi.  
 Ipse suum cæli solum stabiluit in arce,\*  
 Omnipotens toto regnat in orbe Deus.  
 Angelicæ mentes Domino date munera laudum,  
 Quos alios, uirtus nobilis, ante tulit.  
 Omnia qui facitis quæ iusserit ipse, nec ullo  
 Ipsi non estis tempore morigeri.  
 Arma Deum laudent, exercitus omnis adoret  
 Militiæ, & sub eo quicquid ubiq; manet.  
 Præcipuas Domino laudes afferte ministri,  
 Qui placita ipsius iussaq; perficitis.  
 Cuncta creatorem fateantur facta potentem,  
 Per loca quæ regno subdita cunq; tenet.  
 Tu quoq; nunc animi uis tota & maxima nostri,  
 Tam facilem lauda, quo potes ore, Deum.

Gratia est super bonos tanquam cœlum.

Causam beneficiorum tantorum ostendit, quod, s. Deus mouetur ad misericordiã, nõ nostris meritis, quæ nulla sunt, sed quia fumus calamitoli & miser. Pacumet iussa sunt in Christũ credere. Sicut uox decælo testatur: Hunc audite.

Apostoli. Ecclesia.

\* Prophetia, Euangelium spargendum per Apostolos in totum orbem.



Benedic anima mea Domino &amp;c.

## ARGVMENTVM.

Est gratiarum actio pro tota creatura, sic  
sapienter cōdita ad usum hominis. Commem-  
orat enim ordine miracula cœli, & terræ  
& maris, pro quibus agit gratias.

*Cuncta creaturarum memorat miracularerum,  
Quas hoc uisibili fecit in orbe Deus.  
Tam bene, quæ potuit sapientia nullius unquam  
Exprimit hic, ipso sicut ab ore Dei.*

Propositio,  
Laudabo Do-  
minum.  
Narratio quæ  
habet enumera-  
tionem creatu-  
ræ.

Lux.  
COELVM.

Aquæ cœli  
Nubes.

Fulmina.  
Venti.  
TERRA.

**V**T Domino laudē et præconia digna canamus,  
Deprompta ex animi pectore lingua sonet.

Mi Deus eximio quàm magnus & altus honore es:  
Quàm tua præcipuum gloria nacta decus?

Concolor immensi lux te splendoris amicit,  
Quàm uelut indutam tegmina uestis habes.

Tu magni extendis spaciōsa uolumina cœli,  
Non secus ac pellis brachia fluxa nouæ.

Qui sua mobilibus cœnacula ponit in undis,  
Proq; suis nubes curribus esse facit.

Qui rapidis pedibus quouis uelocior Euro,  
Quantumuis celeres præuolat ante Notos,

Qui flammis ignemq; tuos facis esse ministros,  
Ut sint præcones uentus & aura tui.

Terrarum ualidis fundasti basibus orbem,  
Qui proprio semper pondere firmus erit.

Aequo



ABquoris hunc uasto uelas, ceu ueste, profundo,  
 Nubiferos montes transiluisti aquæ.  
 At simul increpites fugient, simul horrida mittas  
 Fulmina, uoce tua præcipitante cadent.  
 Eminuere loco montes planissima campi,  
 Atq; inum ualles obtinuere locum.  
 Præscriptos fines non transgredientur, ut olim,  
 Non iterum terræ contegerentur aquis.  
 Fontibus è paruis tu maxima flumina ducis,  
 Ut sua montigenis uallibus unda fluat.  
 Ex his ut potent totis animalia siluis,  
 Possit ut aucta feris unda leuare sitim.  
 Propter aquas uolucres sibi grata cubilia fingent,  
 Carninaq; è ramis deliciosa canent.  
 Nubibus humectas montes, tua munera tellus  
 Sentit & est fructus dotea beata tui.  
 Gramina producis iumentis pabula brutis,  
 Atq; olera humana iussa uirere manu.  
 Ut miserè culto uictum sibi comparet agro,  
 Quæq; hominum curas uina leuare solent.  
 Quoq; nitent facies succum felicitis oliuæ,  
 Et panem, uires quo tueatur homo.  
 Tu tua frondentis confortas robora siluæ,  
 Et Lybani Cedros quas tua dextra colit.  
 In quibus ædificant nidos sua regna uolucres,  
 Atq; aliæ, & ranis noxia semper auis.  
 In montes pauidæ fugiunt & culmina damæ,  
 Antra quibus nomen terra refoffa dedit.  
 Tu stata per dubiam signasti tempora Lunam,  
 Sol habet occasus tempora certa sui.

P 5

Te

Terra in me-  
dio mari tuta.

Fontes.  
Flumina.  
Animalia ter-  
ræ.  
Volatilia.

Pluuia.

Pabula.

Fruges.  
Vinum.  
Oleum.  
Panis.  
Siluæ ferarum  
latibula, & do-  
micilia auium.

Motus corpo-  
rum cœlestium.



Nox.

Te tenebras ducente diem nox atra repellit,  
Tunc se silua feris, tunc mouet omnis ager.

Tunc leo prædæ auidus rugit, tum quærit ab ipso

Dies.

Esuriens, rapido quod uoret ore, Deo,

At simul explicuit roseas Aurora quadrigas,

In sua quæq; abeunt auia lustra feræ.

Ad sua tunc redeunt homines opera, atq; labores,

Donec fera suum contrabat hora diem.

Quàm tua sunt uarijs opera exornata figuris,

Quàm Deus eximio cuncta labore facis.

Epiphonema  
intertextit.

Quàm tu summe Deum sapienter cuncta parasti,

Plena iacens tellus est bonitate tua.

MARE.

Hoc magnum spacijsq; patens immanibus æquor,

Reptilibus plenum est innumerabilibus.

Sunt illic uarijs animantia facta figuris,

Magnaq; monstra, feræ, paruaq; monstra, fera.

Illic ueliferæ sulcant maria alta carinæ,

Quo tibi sunt Cete ludere iussa loco.

Pater uester in  
cælis pascit ea  
Matt. vi.

Te pater expectant hæc omnia, te uenerantur,

Pabula ut expedias tempore cuiq; suo.

Si dabis accipient, dextram si extendis apertam,

Diuinae saturiam bonitatis erunt.

Consternatio  
creaturarum.

At simul ut uultus auerteris ora benigni,

Consternata noui plena timoris erunt.

Natiui abstuleris uitalia munera flatus,

Mox subito interitu nil nisi puluis erunt.

Claudit narra  
tionē Epipho  
nemate.

Ac simul emittis flatum noua cuncta creantur,

Iam noua frons terræ, iam nouus orbis erit.

Aeternos Domini maestas duret in annos,

Lætetur factis, qui facit ipsa suis.

Cuius



Cuius ab obtutu tellus commota tremiscit,  
 Fumus contactis montibus exprimitur.  
 Hoc mihi quod uitæ reliquum uolet ipse relinqui,  
 Ipsius expensum laudibus omne feram.  
 Atq; utinam placeant illi mea carmina tantum,  
 Ex quo sunt animæ gaudia sola meæ.  
 De terra pereat peccator & impius omnis,  
 Ex his dum reliquum nil superesse queat.  
 Eia nunc igitur toto cane pectore laudes,  
 Quas Domino debes fida Thalia tuo.

Votum.

Qui abutitur  
 donis Dei, &  
 non considerat  
 in creatura po-  
 tentiam & ho-  
 nitatem Dei.

## PSALMVS CV.

Confitemini Domino &amp; inuocate.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio pro beneficijs popu-  
 lo Israel exhibitis. Refert autem ea ad mise-  
 ricordiam Dei, & promissionem patribus fa-  
 ctam. Sicut Moses Deuter. capit. xxix. plane  
 eodem modo hæc enumerat.

A ueteri repetens Abraamo cuncta recenset,  
 Usq; sub Aegypti regna relicta canens.  
 Quæ Deus illorum respectu fecerit, usq;  
 Dum Canaanitas sedibus eijcerent.

OFFiciosa Deo meritis date pectora grates,  
 Qui petitis ueræ cunq; salutis opem.  
 Quo decet ipsius celebrantes nomina cultu,  
 Dicite per Gentes facta stupenda Dei.

Propositio,  
 qua hortatur  
 ad gratiarum  
 actionem.

Concia



Concinite unanimes illi date laudis honorem,  
 Dicite quæ semper, quantaq; solus agat.  
 Laude sua celebrata Deum, sint gaudia cunctis,  
 Qui Domini quærunt iussa paterna sequi.  
 Quærite, nec cassate, Deum, cognoscite vires  
 Ipsius, & uultus, quærite, amate pios.  
 Dicite facta Dei memores quæ maxima fecit,  
 Quam fuerit iudex uerus ubiq; Deus.

Narratio, in  
 qua historiam  
 operum Dei in  
 populo Israel  
 ab Abrahamo  
 usq; ad posses-  
 sionem terræ  
 Canaan percur-  
 rit.

\*  
 Promissio ter-  
 ræ Canaan.

Abraham  
 Isaac  
 Jacob in terra  
 Canaan hospi-  
 tes.

Ioseph in Ae-  
 gypto

Vos o præcipue magni proles Abraami,  
 Vos quoq; gentiles quos Iacobus habet.  
 Hunc nostrum meritò Dominumq; Deumq; uocamus,  
 Terrarum ille potens omnia regna tenet.  
 \*Fœderis ille sui non obliuiscitur unquam,  
 Quod pactum ut duret sæcula mille dedit.  
 Quod tecum uerbis Abraame fidelibus icit,  
 Quodq; tulit iurans Isaac magne tibi.  
 Quodq; Iacobe tibi statuit pro lege sequendum,  
 Quodq; Israël iussit habere ratum.  
 Cum tali ad nostros loqueretur uoce parentes,  
 Auspice me Canaan terra futura tua est.  
 Et loca mutant nunc hæc, nunc illa subirent,  
 Regnaq; non magna, proximiora, manu.  
 Nec cuiquam permisit eis illudere, & ipsos  
 Propter eos reges arguit atq; duces.  
 Præcipiens nolite meis damno esse Prophetis,  
 Neue unctos libeat tangere fortè meos.  
 Inde famem terras diurnam immisit in omnes,  
 Panis & annonæ sustulit omne genus.  
 Et tamen ante ipsos castum præmisit Ioseph,  
 Venditus in seruum, non minus ille fuit.

Vinculo



Vincula captiuus tulit impia carceris atri,  
Ferrataq; diu compede uinctus erat.

Donec facta Deus iusta ipsius esse probaret,  
Et ueram factis iussit adesse fidem.

Misit & insontem solui rex iussit ut esset  
Liber, & eximio dignus honore coli.

Mox hunc ergo suæ domui præfecit, & omnem  
Ipsius Aegyptum sub ditione dedit.

Præsit ut imperio populis, ducibusq; magistrum  
Præstet, & erudiat qua decet arte senes.

Post genus Israël Nilotica regna subiuit,  
Venit in Aegypti ditia rura Iacob.

Quem Deus innumeris crescentem foetibus auxit,  
Perq; suas sparsit millia multa tribus.

Diues ut Aegyptus iam non populosior esset,  
Quæ populo ipsius non satis æqua fuit.

Quippe cor auertit Memphitica rura colentum,  
Ut nostros odio prosequerentur auos.

Ut populum opprimerent indigna mole grauatum  
Seruitij, inuidia conuicente dolos.

Misit ut eriperet Mosen, quem legit, & eius  
Iussit Aaronem fortis habere locum.

Prodigia hi populis & signa horrenda tulerunt,  
Qualia non tellus uiderat ante Chami.

8 Contextit tenebris Aegyptū horrentibus omnem,  
Iussa creatori paruit umbra suo.

1 Omnia plena mari iam flumina sanguinis ibant,  
Non aliquo uiuus piscis in amne fuit.

2 Iam loca terrestres implerant omnia ranæ,  
Fædantes regum limina, fulcra, thoros.

3 Iussit

Iacob in Aeg-  
gypto.

Moses, Aaron.

Prodigia in Aeg-  
gypto narrat,  
sed non eo or-  
dine quo facta  
sunt.



3 Iussit, & omne genus uenere insecta, uenenisque  
Omnia uastarunt germina lata suis.

4 Pro pluuia rapido commistos grandine nimbos,  
Ignea fertilibus fulmina misit agris.

5 Fregit pendentes ab adultis uitibus uuas,  
Iamque locus uacuus ficubus omnis erat.  
Omnis ab ipsorum deleta est finibus arbor,  
Ligna breui miseris nulla fuere super.

7 Iussit, & agminibus densis uenere locustae,  
Quis numero bruchos expedisse queat?

Absumsere omnem florentis graminis herbam,  
Languit crosis fructibus omnis ager.

9 Cuncta per Aegyptum primogenita abstulit omnem  
Omnia primitiis cassa fuere suis.

Ipsosque argentoque graues eduxit & auro,  
Nullus in his quicquam qui queretur erat.

Lata erat Aegyptus quando egrederentur ab ipsa,  
Omnibus ipsorum nam timor unus erat.

Iter & miracu-  
la deserti. Ipsorum extendit, tegerentur ut agmina, nubem,  
Præuius ut noctu luceat ignis erat.

Magna coturnicum cupidis data copia uenit,  
Aërio pauit millia multa cibo.

Dissecuit rupem, dissectaque fluxit aquae uis,  
Aridaque exortum per loca flumen erat.

Nam uerbi fuit ipse sui memor, illius olim

Quod dederat iurans magne Abrahame tibi.

Refert omnia  
ad promissio-  
nem & miseri-  
cordiam, non  
ad merita po-  
puli.

Atque ideo eduxit populum noua gaudia agentem

Perque triumphantes agmina lata manus.

Et dedit his alias expulsis Gentibus oras,

Quas nostri haeredes obtinere patres.



*Virata conseruent ipsius iussa, nec unquam  
Ipsius aduersi legibus ire uelint.*

## PSALMVS CVI.

Confitemini Domino quoniam.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio. Sicut enim supra beneficia Domini commemorauit, ita hic peccata populi enumerat & pœnas, ut hoc modo misericordia Dei amplificetur, qui tam malis & ingratis, tot beneficia inexhaustæ suæ honoratis exhibuit. Habet autem confessionem peccati, & orat, ut Deus promissæ & declaratæ toties promissionis meminisse uelit, & populum suum porro etiam liberare.

*Ingratum sese agnoscens, peccasse fatetur,  
Et Domino populus non habuisse fidem.  
Grates ergo refert, quia non occiderit omnes,  
Fœderis ipse sui pollicitiq; memor.*

Halleluia uel laudate Dominum.

**C**Arminibus celebrate nouis & dicite laudes,  
Qui colitis pura simplicitate Deum.  
Nam bonus est, & in æternos non desinet annos,  
Esse sui tanta cum pietate memor.  
De factis Domini quis dignè disserat unquam,  
Quis merito laudes ipsius ore canat?

Propositio.

Felices



*Felices qui seruatis rationibus æqui,*

*Quod iustum est, omni tempore perficiunt.*

*Digneris memor esse mei precor optime Diuim,*

*Qua populo afficeris dexteritate tuo.*

*Pectora nostra tuæ meritis inuise salutis,*

*Vt leto afficiar gentis honore tuæ.*

*Omnia ut aspiciens lecti tibi munera cætus,*

*Sim populo hæredi gratus et ipse tuo.*

*Improba maiorum deliquimus acta secuti,*

*Impia præsentem fecimus ante Deum.*

Narratio.

*Tot te prodigijs implentem Aegyptia regna,*

*Perseptum nostri non habuere patres.*

*Cumq; ipsos tanta cuperes bonitate iuuari,*

*Officij indociles non meminere tui.*

*Quin animos potius tibi contraxere rebelles,*

*Propter arenosi littora rubra maris.*

Exodi decimo  
quarto.

*Præstitit ipse tamen saluos et uiuere iussit,*

*Ipsius ut celebris nominis esset honor.*

*Ipsius ut populis immensa potentia cunctis*

*Semper, et in toto notior orbe foret.*

*Arguit algosi fluctus et murmura ponti,*

*Per medios fluctus arida facta uia est.*

*Inde suos duxit per deuia regna profundi,*

*Sicut inexcultæ per loca plana uia.*

*Deq; manu eripuit crudelia bella munantis,*

*Tutos hostili iussit abire manu.*

*Castra inimicorum redeuntibus obruit undis,*

*Agmine de tanto nec super unus erat.*

*Tum uerbis habuere fidem, quæ dixerat ipsis,*

*Tum laudes ipsi concinere Deo.*

Moꝝ



Mox oblita operum tantorum ingrata Deo Gens,  
 Concilia ipsius non tulit ulla sequi.  
 Tunc animos subijt Dominum tentare uoluptas, Exodi xvi  
 Tentaruntq; Deum per loca senta situ.  
 Ipse autem tribuit quæ uotis cunq; petebant,  
 Corpora sed subita tabida morte tulit.  
 Tunc quoq; iactantes ipsi conuicia Mosi, Numeri xvj.  
 Parcere sacrificio non potuere seni.  
 Tunc subito tellus patefacta uorauit biatu,  
 Qui magnum contra se opposuere ducem.  
 Atq; ita coniuncti fratres Abirame Dathani,  
 Vos sceleris pœnas persoluisse liquet.  
 Mortifer in medijs exarsit cœtibus ignis,  
 Impia consumsit pectora flamma uorax.  
 Constantes gelidis Horebi in uallibus aurum, Exodi xxxij.  
 Quem colerent uitulum composuere bouem.  
 Atq; ita quem Domino debebant reddere honorem,  
 Gramina pascenti constituere boui.  
 Longa salutiferæ traxere obliuia dextræ,  
 Mira per Aegyptum quæ modo tanta dabat.  
 Quæ modo Niliacam miracula tanta per oram,  
 Per mare quæ uastum signa stupenda dedit.  
 Et toties populum statuit delere rebellem, Exodi xxxiij.  
 Ni prompta Moses mente tulisset opem.  
 Hic namq; irati uultum stetit ante tonantis,  
 Fecit & ultrices abstinuisse manus.  
 Inde solo cultam spreuerunt ubere terram, Numeri xiiij.  
 Et uerbis Domini non habuere fidem.  
 Improbata turbatis sparserunt murmura castris,  
 Spernentes, tanquam friuola, iussa Dei.  
 Q



Extulit ille manum contra, ut disperderet illos,  
Per loca quæ nulla culta fuere manu.

Semen ut in gentes dispergeret omne profanas,  
Nec sineret certis hos habitare locis.

Turpia sculptilium coluere idola Deorum,  
Oranec a uetitis abstinuere cibus.

Nam sacra depasti sunt Dijs oblata nefandis,  
Qui nil, nec uitæ, nec rationis habent.

Talibus accensum factis mouere furorem,  
Hinc miseris magnæ pestis origo fuit.

Tum Pineas tanto sumens de crimine pœnas,  
Abstulit irata noxia membra manu.

Numeri xx. Protinus effugit tenues mala pestis in auras,  
Iusticiæ Pineas nomina pulcra tulit.

Hinc ad aquas iterum cum iurgia sæua mouerent,  
Irati furias elicuere Dei.

Vsq; adeo ut pœnas, populi pro crimine, Mosen,  
Proq; suis uerbis persoluisse ferant.

Namq; animo offensus quædam est non recta locutus,  
Quæ simul offenso displicuere Deo.

Hæc fuerunt  
tempora post  
Iosua sub iudi-  
cibus.

Non etiam populos uastarunt cladibus omnes,  
Quos Deus excidio iusserat ipse dari.

Gentibus immisti mores didicere profanos,  
Et quæ non decuit, facta nefanda, sequi.

Falsa alienorum coluerunt nomina diuim,  
Res ea peruersis exitiosa fuit.

Tum Cacodæmonibus natos natusq; tulerunt,  
Mactantes propria pignora cara manu.

Et multam innocui fuderunt sanguinis undam,  
In sua iam facti uiscera carnis fices.



Que Canaanitum sacrarunt munera laruis,  
 Et polluta sacro sanguine terra fuit.  
 Facta profanarunt se per sua pessima, prauos  
 Per mores animas prostituere suas.  
 Tunc grauis in populum succensa est ira rebellem,  
 Tunc sortem exosam cepit habere suam.  
 Gentibus ergo ipsos subiecit, & esse Tyrannos,  
 Qui iuga contemptis imposuere, tulit.  
 Hostibus ergo suis seruitum abiere coacti,  
 Et iuga sub domina dura tulere manu,  
 Saepe quidem miserans respexit ab hoste receptos,  
 Perfida Gens retro est saepe relapsa tamen.  
 Vidit in ærumnis positos miseratus, & aures  
 Placatas querulis uocibus applicuit.  
 Fœderis ergo sui memor, impia facta remisit,  
 Quod pius, & quoniam sit sine fine bonus,  
 Fecit & ut uenia dignandos esse putarent,  
 Qui captos tristi detinuere iugo.  
 Assere nos ô nostra salus, & collige sparsos,  
 Gentibus è medijs collige, redde, refer.  
 Vt tuo gratifico celebremus nomina cantu,  
 Vt resonent laudes carmina nostra tuas.  
 Laudetur totum Deus Israël in æuum,  
 Quisquis amat fieri talia, dicat amen.

## PSALMVS CVII.

Confitemini Domino quoniam.

## ARGUMENTVM.

Sicut præcedentes duo Psalmi proprie  
 sunt gratarum actio pro beneficijs exhibitis

Q 2 po

Idolatria.

Claudat narra-  
 tionem uotoz  
 Etiam nunc Do-  
 mine miseri-  
 cordiam istam  
 ostende.



populo Israel: Ita hic in genere complectitur omnis generis beneficia, quibus Deus iuuat egentes, captiuos, oppressos morbis, periclitantes in mari, fame ex annonæ difficultate laborantes, uexatos a Tyrannis &c. Quare generalis gratiarum actio est. Notabis autem quod diserte dicit, etiam illos diuinitus iuari, qui propter peccata affliguntur, si modo sperent auxilium, & id oratione a Deo petant.

*Gratia debetur Domino qui seruat & auget,  
Quos rebus Dominos omnibus imposuit.  
Qui meritis ut quisq; potest, ita donat & aufert  
Cuiq; sit huic soli gloria summa Deo.*

Hortatur ad  
gratiarum actionem.

**D**icite magnificas promentia carmina laudes,  
Qui colitis casta religionem Deum,  
Cuius in æternum est bonitas memorabilis æuum,  
Qui pius est, cuius gratia sine caret.  
Laudibus hoc fateantur, & ipsi carmina dicant,  
Quorum sæpe sua uincla leuauit ope.  
Et quos diuersis sparsos collegit ab oris,  
De toto extremis quatuor orbe plagis.  
Vnde nitens croceis Aurora cubilibus exit,  
Vnde satis Zephyri mollior aura uenit.  
Vnde procellosi Boreæ sua flamina mittunt,  
Vnde graues pluuius depluit Auster aquas.  
\* Qui loca per deserta errant, qua nulla priorum  
Signa, nec humano sit uia trita pede.

\*  
Primus ordo  
calamitosorum  
& laborantium  
inopia, neque  
inuenientium  
certas sedes.

Qui



Qui non inueniunt qua possint urbe morari,  
 Quorum sunt nimia corpora lassa fame.  
 Quorum præclusas sitis occupat arida fauces,  
 Quorum est in medijs anxia uita malis.  
 Qui simul ad Dominum clamant in rebus egenis,  
 Audit, & aduerso tempore mittit opem.  
 Errantes reuocans ostendit qua sit eundum,  
 Ut rectam inueniant, ad loca culta, uiam.  
 Ergo Dei celebrent tantæ bonitatis honorem,  
 Ipsius in populis facta stupenda canant.  
 Debilis ille animæ sitientia uiscera potat,  
 Et dura reficit corpora fessa fame.  
 Carceribus qui conclusi umclisq; grauati,  
 Non procul à mortis conditione sedent.  
 Idq; ideo, quia se Domino posuere rebelles,  
 Ipsius & uerbis non habuere fidem.  
 Reddidit ergo humiles, & corda laboribus angens  
 Prostermit, nec adest qui ferat ullus opem.  
 At simul ad Dominum clamant in rebus egenis,  
 Audit, & aduerso tempore mittit opem.  
 Eductos tenebris reddit uitalibus auris,  
 Soluit & iniecta uincula dura manu.  
 Ergo Dei celebrent tantæ bonitatis honorem,  
 Ipsius in populis facta stupenda canant.  
 Viribus ille suis portas confringit abenas,  
 Vectes ferrato conterit ære graues.  
 Obscлера & sua facta affligitur impius omnis,  
 Et stulti poenas quas meruere luunt.  
 Ipsorum stomachus super esca nauseat omni,  
 Et prope sunt Stygias qua uia ducit aquas.

Secundus or-  
 do eorum, q̄s  
 liberat ex uin-  
 culis.

iij. Stulti, hoc  
 est, securi & si  
 ne timore Dei,  
 quos Deus im-  
 plicat morbis.

Q 3

Qui



Qui simul ad Dominum clamant in rebus egenis,  
Audit, & aduerso tempore mittit opem.

Mittit, & ægra suo sanat præcordia uerbo,  
Iamque propinquant seruat ab exitio.

Ergo Dei celebrent tantæ pietatis honorem,

Ipsius in populis facta stupenda canant.

Grata Deo soluant meritæ libamina laudis,

Ipsius & læto pectore facta canant.

iii. Periclitantes in mari.

Qui maris alitibus sulcant uada salsa carinis,  
Solliciti, & uastas ingrediuntur aquas.

Illi opera in medio spectant diuina profundo,

Factaque, in immenso prodigiosa mari.

Iusserit, exiliunt uenti, tumida æquora surgunt,

Mota procellosis fluctibus unda fremit.

Et nunc in cælum tolluntur, ad infima rursus

Tartara, mox animo deficiente, labant.

Iactantur nutant que, mero uelut ebrius hausto,

Et sensus animi nil sapientis habent.

Qui simul ad Dominum clamant in rebus egenis,

Audit, & aduerso tempore mittit opem.

Nigrum discussa mare tempestate serenat,

Reddita compositis fluctibus unda silet.

Tunc leti exultant quod murmura rauca quierint

Quod tenet optatam tuta phaselus humum.

Ergo Dei celebrent tantæ pietatis honorem,

Ipsius in populis facta stupenda canant.

Laudibus extollant in cœtibus omnibus ipsum,

Per loca sanctorum conciliata senum.

\* Qui patiuntur difficultatē annonæ propter inclementiam cœli.

\* Qui rigua obstructis desiccant flumina uenis,

Et bibula riguan puluere siccant humum.

Qui



Qui facit eximiam cultu sterilefcere terram,  
 Quod latas segetes impia turba colat.  
 Qui loca manantes sitientia uertit in undas,  
 Et rigua è sicca flumina ducit humo.  
 Et macie atq; fame confectos collocat illo,  
 Qui, quæ possideant, mœnia tuta locant.  
 Inde relaturis dispergunt semina campis,  
 Lataq; botrifris uitibus arua nouant.  
 Vnde noua uario redeunt cum fœnore messes,  
 Credita luxurians semina reddit ager.  
 Talibus aspirat certum Deus ipse fauorem,  
 Multiplicans ipsos auget & omne pecus,  
 Rursus & hos faciet uarijs decrescere morbis,  
 Pestibus, ærumnis, anxietate, fame.  
 Contentum populi certum primatibus affert,  
 Et facit ut quærant per loca uasta uiam.  
 Tandem ope deiectum propera suffulcit egentem,  
 Utq; gregem, plenam sic facit esse domum.  
 Ista boni uideant, ut lati uiuere possint,  
 Audeat ut contra nil mala lingua loqui.  
 Hæc quicumq; sapit, consideret omnia, & ipse  
 Certus erit summa de bonitate Dei.

vj. Tyrannorum  
 iniurijs oppres  
 si.

Commendat  
 pijs hanc cu-  
 ram, ut bonita-  
 rem Dei in tali-  
 bus cognoscant

## PSALMVS. CVIII.

Paratum cor meum Deus, para.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, in qua gratias agit  
 pro regno Christi, quod regnum gratiæ fu-  
 turum erat, & pro suo corporali regno,  
 quod ceu seminarium fuit futuri regni Chri-  
 sti.

Q 4

sti.



fti, falus enim ex Iudæis eft. Atq; hæc pofterior  
 or Pfalmi pars iſdem uerbis, eft Pfalmo LX.  
 Pro regni florente ſtatu, pro pace recepta,  
 Pro ſalua grates relligione refert.  
 Sed petit & regnum ſtatuſuper omnia Chriſti,  
 Dauidis regnum ſcilicet illud erat.

Pſalmus & canticum Dauid.

Propoſitio gra-  
 tias tibi agam.

**F**ert animus tibi, ſumme Deum, mea præta uoluntas  
 Gratifica laudes dicere uoce tuas.  
 Tollere, ſurge meæ decus & pars maxima uitæ,  
 Muſica Pſalmographi gloria noſtra chelys.  
 Exurgam matura noui ſub lumina ſolis,  
 Roſida cum tepidum proferet aura diem.  
 Per populos tua facta canam, per regna, per urbes,  
 Nec laudem tellus neſciet ulla tuam.

Ratio quia ha-  
 bes regnū gra-  
 tiæ & yitatis.

Nam tua ſtelligerum bonitas transcendit Olympum,  
 Subdita ſunt fidei, nubila regna, tuæ.  
 Exaltare Deus ſuper alta cacumina cœli,  
 Laus tua terrarum tranſeat alta plagas.  
 Ut nunc ergo tibi cari ſeruentur amici,  
 Vi dextræ nobis auxiliare tuæ.

Transit ad præ-  
 ſens regnū, &  
 primo pro uer-  
 bo & religio-  
 ne, deinde pro  
 Repub. pacata  
 gratias agit.

Ex adyto Deus eſt diuina uoce locutus,  
 Quæ mihi læticiæ uox, noua ſigna dedit.  
 Nunc Sichime diuiſa caput mihi ſubdet, & omnem  
 Planiciem Succot metiar arte noua.  
 Noſter erit Galaad, poſſeſſio noſtra Manaſſes,  
 Mox Ephraim ſceptri pars erit una mei.  
 Dux & rector erit mihi ad omnia fortis Iudas,  
 Subditus imperij nomine Moab erit.

Ipsa



*Ipsa tributa dabit palmarum diues Idume,  
 Nostra Palaestinae regia Genis erit.  
 Sed quis erit qui me munitam ducat in urbem?  
 Ecquis Idumaeae ducet ad arua plagae?  
 Tunc pater qui sic nos auersaris egenos,  
 Nec comes armatis in fera bella uenis?  
 Auxilium duris in rebus egentibus affer,  
 Humanum auxilium nil rationis habet.  
 Diuino auxilio freti rem deinde geremus,  
 Inijciet nostris hostibus ille metum.*

*Est sententia :  
 Nisi Dominus  
 custodierit ci-  
 uitatem &c.*

*Oratio.*

## PSALMVS CIX.

**Deus laudem meam ne taceas.**

## ARGVMENTVM.

*Est oratio Christi, in qua & hostibus suis,  
 Iudaeis, omnia mala imprecatur, & pro se pe-  
 tit, ut Deus sibi adsit. Imprecationis causas  
 assignat, quod Christum crucifixerunt, &  
 uerbum benedictionis noluerunt praedica-  
 tum per Apostolos.*

*Furis inauditum scelus execratur Iudae,  
 In fontem dirae tradidit ille neci.  
 Tales sunt nostro permulti tempore Iudae,  
 Voce pij, sed re nil bonitatis habent.*

**O**mnipotens pater, & rerum suprema potestas, *Propositio.*  
 A quo, si qua mihi est gloria, tota uenit.  
 Ne rogo dissimula, nec ad haec opprobria dormi,  
 Quae iacit in mores perfida lingua meos.

*Q 5 Nam*



Ratio, in qua  
exponit pecca-  
tum populi.

Imprecationes  
Ac primo loco  
videntur cor-  
porales maledi-  
ctiones poni.

Hæc sunt spi-  
ritualia.  
Ira Dei.

Nam reprobī de me mendacia uerba loquuntur,  
Et mihi composita fraude nocere student.  
Quos ego dilexi, quos toto pectore amabam,  
Inuidia qui me persequerentur erant.  
Cum tamen interea peterem tua numina supplex,  
Ut tua non meritis dextera ferret opem.  
Impius insidijs me anunc benefacta rependit,  
Nunc odium summa pro pietate refert.  
Constitue ergo uiro dominetur ut impius illi,  
Ad dextram infestans Angelus astet ei.  
Exeat infesto sub iudice condemnatus,  
Ipsius ut causam propria uerba grauent.  
Vita breuis misero per paucos duret in annos,  
Quod gerit accipiat muneris alter opus.  
Pignora quæ genuit decedens orba relinquat,  
Possideat uiduas ipsius uxor opes.  
Ipsius extorres nati nataeque, uagentur,  
Mendicentque inopis uilia scruta cibi.  
Difficili sudore parent quæcunque parabunt,  
Postquam uastatas incoluere domos.  
Auferrat exactor qui possidet omnia, demum  
Despolient alij quas cumulauit opes.  
Nemo illi placidus, nemo sit fidus amicus,  
Pupillis miseri nemo fauere uelit.  
Nullis posteritas excisa repullulet annis,  
Ipsius est nomen sæcula nulla sciant.  
Delicta ipsius quæ commiserunt parentes,  
Succedens ntemoris, puniat ira Dei.  
Exinat, ante Deum nulla hæc obliuio, nulli  
Sint qui horum possint commeminisse dies.

Quod



Causæ: Christi  
occisus.

Contemptum  
Euangelion.

Sunt ueræ tra-  
gicæ figuræ.

Orat pro se q-  
q̄ & conqueri  
tur de afflictio-  
nibus.

Quod pius erga alios, quod noluit esse benignus,  
Afflicto studuit quod nocuisse uiro.  
Quod duro afflictum quasiuit perdere fato,  
Cui plena assidui uita doloris erat.  
Et quia grata uiro fuit execratio, solus  
Execrabilibus concidat ipse modis.  
Et quia nulla unquam fuit illi gratia cura,  
Indigno ueniat gratia nulla uiro.  
Et quoniam placuit sœuæ maledictio lingua,  
Ipsius, ut uestis membra animamque tegat,  
Illius ossa uiri penetrent ceu succus oliuæ,  
Totaque peruadant corpora, sicut aquæ.  
Hæc sit ei tanquam tegmen quod corpus amicit,  
Hanc secum tanquam balthæa nota ferat.  
Hæc his eueniant, hæc omnibus imprecor illis,  
Qui mihi perniciem nocte dieque parant.  
Hæc his à Domino ueniant, hoc nomine, diræ,  
Quod nisi dira in me non potuere loqui.  
Interea tua me genitor clementia seruet,  
Quæ propensa bonis & genuina tibi est.  
Exul enim iaceo, rerumque affligor egenus,  
Intimæque infesto uulnere corda labant.  
Umbra uelut longæ sub tempora sera dici,  
Sic infirma mei corporis umbra fugit.  
Raptor & incertis per deuia sedibus erro,  
Ut manet in nullo certa locusta loco.  
Fessa fame genua ægra labant, caro marcuit omnis,  
Restat in hoc toto corpore pingue nihil.  
Ludibrio longo sum tempore factus iniquis,  
Spectantes capitem tempora uersa mouent.

Omni.



Omnipotens fer opem, Deus auxiliare iacenti,  
 Pro certa fidei dexteritate tuæ.  
 Hoc opus esse tuæ ut possint cognoscere dextra,  
 Et quia tu solus feceris ista pater.

Redit ad exe- Illi execrentur dum tu benedicere pergas,  
 crationes. Insurgant uicti dum tamen inde cadant.

At tuus accepto famulus gratetur honori,  
 Omniaq; ætatis tempora letus agat.  
 Opprobria atq; ignominia ceu ueste tegantur  
 Crimina, ut induti pallia nota ferant.

Gratiarum actio. Ipse frequentato laudes tibi carmine dicam,  
 Pectore præsentem fassus est ore Deum.

In medio populi cætu tua nomina, ueris  
 Alta super cæli laudibus astra feram.  
 Astat enim misero saluatq; à fraude nocentum,  
 Excipere insontem qui uoluere uirum.

## PSALMVS CX.

Dixit Dominus Domino meo, sede.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Christo & eius regno, quod sit natura Deus, quod habeat officium regis & sacerdotis æterni, ad defendendam & sanctificandam Ecclesiam, quod regni huius exordium in Hierusalem erit, quod ecclesia diuinitus propagabitur, quodq; huius regis & regni hostes peribunt. In fine addit de humiliatione Christi, quod prius oportuit eum pati, & sic uenire ad gloriam, id enim est bibere ex torrente.

Esse sa



Esse sacerdotem Christum, & super omnia regem,  
 Et patris ad dextram, spiritus iste canit.  
 Mentiri hunc aliquis, dicat, quod abominor, hostis  
 Christe citas, poteris Christe carere fide?

Psalmus David.

**O**mnipotens olim diuina uoce locutus,  
 Ad Dominum dixit talia uerba meum:  
 Sit tibi cunctarum rerum data tanta potestas,  
 Ad dextram teneas ut loca prima meam.  
 Donec, ceu scabella solent calcanda, malorum,  
 Subijciam pedibus, millia multa, tuis.  
 Omnipotens claræ sacra de rupe Sionis  
 Profert imperij regia sceptrum tui.  
 Tu nunc ergo tuos dominare potenter in hostes,  
 In medio quorum iura tenenda dabis.  
 Quo tu es summa die uirtutis signa daturus,  
 Turba aderit populi prompta frequensq; tui.  
 Insigni uenient pompa & splendore decori,  
 Læticiæq; dabunt plurima signa nouæ.  
 Materno ex utero tua pulcra & clara iuuentus,  
 Ut matutini copia roris erit.  
 Iurauit Dominus, nec eum iurasse pudebit,  
 Nec iuramenti pœnituisse potest:  
 Tu pius & solus per secula cuncta sacerdos,  
 Ad ritum magni Melchisedecis eris.  
 Ad dextram tibi semper adest Deus omnia præstans,  
 Iratus reges conteret atq; duces.  
 Iudicium gentes ille exercebit in omnes,  
 Plena cadaueribus tot loca uasta dabit.

Ille tuo

Narratio est  
 perpetua.

Christus domi-  
 nus creaturæ.

Locus regni.

Populus regni

Cultus regni.

Propagatio  
 Ecclesiæ.

Christus sacer-  
 dos, uide epist.  
 ad Hebr. cap.  
 5, 6, 7, 8, 9, 10.



Quidam sic exponunt, De torrente bibet, hoc est, patietur, atque hæc sententia commodior est, ut coniungantur Christi humiliatio, & glorificatio, sicut Esa. liij.

Ille tuo late regnans caput auferet hosti,  
Nobilis excisum de ditone soli.  
Torrentes fuso manabunt sanguine riui,  
Rubraque de caesis hostibus unda fluet.  
Propterea sese extollens super omnia uictor,  
Sidera sublimi uertice summa petet.

## PSALMVS CXI.

Confitebor tibi Domine in toto.

## ARGVMENTVM.

Est gratiarum actio pro beneficijs populo Israel exhibitis. Recitat autem non modo beneficia Dei, quod pauerit populum in deserto, quod dederit terram Canaan, sed etiam noui Testamenti meminit, quod æternum Testamentum est, & redemptionis per Christum factæ.

Hoc insigne melos agni Pascalis ad esum  
Est solitum populo non residente, cani.  
Scilicet Aegypti memor, hoc ut carmine grates  
Diceret, accepti lætus honore boni.

Halleluia.

Propositio.

\* Narratio, quæ continet causam propositionis, ac primo commemorat liberatorem ex Aegypto qua sibi hunc populum assuegit.

**T**E Deus autorem uitæ rerumque suarum,  
Hic animus causam, cur fateatur, habet.  
Quas tibi non falso promam de pectore laudes,  
Illarum populi concio testis erit.

\* Res facit omnipotens magnas, opera omnia magna  
Quæ facit excelsa conditor ille manu.  
Atque ea quisquis amat qui perscrutabitur, illi  
Nota uoluptatem deliciasque ferunt.

Laude



Laude & honore Deus fecit omnia digna, nec unquā  
 Iusticiæ poterit non memor esse suæ.  
 Ipsius celebrat memor ætas omnis honorem,  
 Tamq̃; pij Domini facta stupenda canit.  
 Hunc quicumq; timent, his larga alimenta ministrat,  
 Et dat ab hostili munera rapta manu.  
 Scilicet ic̃ta suæ repetens pia fœdera pacis,  
 Irrita promissi non sinit esse sui.  
 Quam sit terribili metuendus ad omnia dextra,  
 Ipse suo populo maxima signa dedit.  
 Cum detracta suis spolia hostibus, omnia quondam  
 Diuideret populo, ceu sua dona, suo.  
 Omnia firma manu fecitq; & uera potenti,  
 Illius haud unquam iussa perire queunt.  
 Hæc stant perpetuis non interitura diebus,  
 Ex uero siquidem condita firma manent.  
 Libera iura suis missæ tulit ipse salutis,  
 Et pacti statuit fœdera longa sui.  
 Cuius & est omnes metuendum nomen in annos,  
 Et quo nil usquam sanctius esse potest.  
 Iure timor Domini sapientia prima uocanda est:  
 Felices quorum cordibus ille sapit.  
 Perpetuæ siquidem præconia laudis habebunt,  
 Pectora qui talis plena timoris habent.

Cultus Dei &  
 uerbum.

Vicius datus in  
 deserto.  
 Terra Canaan  
 data uicis gen  
 tibus.

Epiphonemā,  
 quo claudit bē  
 neficia ueteris  
 Testamenti.

Nouī testamen  
 ti beneficium  
 Christus, quē  
 est redemptio  
 populi.

Ἐπιφώνημα

## PSALMVS CXII.

Beatus uir qui timet Dominum.

## ARGUMENTVM.

Hortatur ad timorem Dei, & beneficentiam



am seu ad opera pietatis, & magnifica promittit.

Apparet nil esse pios nisi inania terræ  
Pondera, felices hic tamen esse canit:  
Felices quicumq; Dei didicere timorem,  
Quantumuis miseros munde superbe putes.

Halleluia.

Propositio. **F**elicem quem diuini pia cura timoris  
Tangit, & obsessum nocte dieq; tenet.  
Qui scrutans præcepta Dei, se oblectat in illis,  
Et nihil hæc extra, quod meditetur, habet.

Ratio, in qua commemorat præmia pietati proposita. **P**osteritas præclara uiro nascetur ab illo,  
Huius erit toto semen in orbe potens.  
Huic bona cunctarum non deerit copia rerum,  
Nullus iusticiæ terminus huius erit.

Alia propositio, qua hortatur ad beneficentiam. **P**er medias tenebras orientur lumina iustis,  
Munifici summa pro pietate Dei.  
Qui bonus est, facile ingenua pietate mouetur,  
Vicino tribuens mutua pensa suo.

Commemorat beneficentiæ præmia. **H**ic sua iudicio dispendet cuncta fideli,  
Quæq; geret recta munera lege geret.  
Stabit enim nulla fati ratione mouendus,  
Nullaq; posteritas non memor huius erit.  
Non ille insidias meditantis murmura linguæ,  
Non metuit famæ damna feronda suæ.  
Pectore enim didicit Domino confidere forti,  
Cui nisi de cælo spes rata nulla fuit.  
Pectore fortis erit, metuet nil donec in hostes  
Fortunam aduersam uiderit esse suos.

paupca



Pauperibus dispergit opes, largitur egenis,  
 Perpetuas igitur iustus habebit opes.  
 Stabit honorata sublimis in arce bonorum,  
 Precipuo cornu tollet honore suum.  
 Impius ista uidens, accensabile dolendo,  
 Ad Stygias frendens dentibus ibit aquas.  
 Nam quæcumq; petet studia impius, omnia fient  
 Irrita, nec fructus quos uoluere ferent.

ἄντιθεσις.  
 Impiis contra  
 ria omnia eue-  
 nient.

## PSALMVS CXIII.

Laudate pueri Dominum, laudate.

## ARGUMENTVM.

Insignis Psalmus est, qui hortatur ad gra-  
 tiarum actionem, ac Dei misericordiam præ-  
 dicat, quod abiectos respicit, & humiliatos  
 exaltat. Clarum autem argumentum est, cum  
 Deus humiles exaltat, non hoc animo a Deo  
 nos humiliari aut deñci, ut pereamus, sed ut  
 inuocantes & credentes saluemur.

Solis ad occasum Christus regnabit ab ortu,  
 Illius & Gentes, illius orbis erit.  
 Ille humiles animo releuat, domat omne superbum:  
 Hæc tanquam sua sint munera Christus amat.

Halleluia.

**A**ddisti Domino pueri celebrate ferentes,  
 Laudibus æternis nomina magna Dei.

Propositio.

R

Nostro



Noſtro hoc perpetuos ex tempore duret in annos  
Gloria, quæ ſoli eſt ſola ferenda Deo.

Laus Domini primo Phæbi ſurgentiſ ab ortu,  
Inclſyta ad occiduas floreſt uſq; plagas.

Narratio, in qua exponit cauſſam, cur laudari mereatur Dominus

Magnus ut eſt, ita magnifice ſuper omnia regnat,  
Aſtra ſub inuiſto qui pede ſumma premit.

Huic Domino ſimilis quis ſit qui poſſit haberi?  
Sublimem qui ſe quàm uolet ipſe locat.

Rurſus eò terras qui ſe demittit ut omnes  
Speſtet, & in cœlis quod quod agatur opus.

Ille inopem fædo de puluere ſubleuat, idem  
Ex humili afflicto ducit ad alta loco.

Vt locet & reges inter populiq; Tyrannos,  
Quem fidum uero norit amore ſibi.

Ille etiam ſterili tribuit ſua gaudia natos,  
Vt fiat genetrix munere læta Dei.

## PSALMVS CXIII.

In exitu Iſraël de Aegypto, domus.

## ARGVMENTVM.

Narratio eſt, in qua prædicat mirabilem  
& magnificam liberationem populi in Aegypto  
afflicti, ideo autem commemorat noſtam  
hiſtoriam, ut præteriti beneficij cogitationibus  
pij animum erigant, ad ſperandam ſalutem  
in alijs difficultatibus quæque, & ut grati ſint  
erga tam miſericordem Deum.

Infinita



In finita Dei memorat miracula uates,  
 Quis populum Aegypto duxit ab ipse suum.  
 Hec quoq; festa cani sub Pascatos annua possunt,  
 Quae grates referant carmina laeta Deo.

**C**um uetus à magno genus Israële profectum,  
 Aegypti uetitis egrederetur agris:  
 Protinus in forti se sanctificauit Iuda,  
 In genere Israël regia sceptrā ferens.  
 Vidit & attoniti retro maris unda refugit,  
 Peneades restuo Iordanis amne stetit.  
 Summa remittentes salierunt culmina montes,  
 Sicut ubi tenerae deliciantur oues.  
 Quid tibi cur fugeres mare contigit, unde laboras?  
 Cur solitum retro Iordani flectis iter?  
 Utq; mares ouium cur subsiluitis in auras,  
 Culmina, quae colles uos noua caussa mouet?  
 Horruit & subito terra est concussa tumultu,  
 Nec solitis tremuit motibus ante Deum.  
 A facie commota Dei sunt omnia terrae  
 Viscera, Sarigenae quem coluere patres.  
 Qui duram faciles petram conuertit in undas,  
 Siccaq; manantes marmora fecit aquas.

## PSALMVS CXV.

Non nobis Domine non nobis.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, & encomion Dei  
 Israël, quod populus Israel habeat Deum  
 R 2 bene

Narratio.

Trāitus maris  
 rubri & Iorda  
 ni.

Tempestas in  
 monte Syna.  
 Poetica figura  
 qua amplificat  
 miraculum.



beneficientem. Addit autem antithesin, quod Gentium Dii non tales sint, ut qui nec audiunt, nec respiciant suos cultores. Hæc postea accommodat ad ipsos cultores Idolorum, quod cæci & surdi sint &c. Habent autem omnes illi Idola, qui non credunt quod Deus eos curet, respiciat, exaudiat, &c.

Quæ Gentes simulacra colunt sunt uana, nec ullum  
Cui possint uerè fidere, numen habent.  
Vnus ab Israël Deus est, & solus, & idem,  
Cui uerè possis fidere, numen habet.

Occupatio est, non prædicabimus nos ipsos sed nomen Dei nostri. Simul autem proponit Psalmi summam. Noster Deus est Deus cæli.

Narratio.

ἘΥΤΙΘΕΙΣ.

Idola neque audiunt, nec respiciunt cultores suos, ergo tales sunt plane sine Deo.

**S**umme opifex rerum nobis ne confer honorem,  
Quem decuit merito nominis esse tui.

Omnis namque tibi debetur gloria soli,

Pro bonitate tua, pro pietate tua.

Cur fatuas nobis patiaris dicere Gentes:

Nunc Deus istorum, quem uenerantur, ubi est?

At Deus astriferi noster tenet aurea cæli

Mœnia, & arbitrio cuncta agit ipse suo.

Verum illi simulacra colunt argentea, uel quæ

Ex auro humanæ composuere manus.

Ora quibus nunquam uerò sermone loquentur,

Quo nequeant aliquid cernere lumen habent.

Nulla soni ueniunt uanas elementa per aures,

Nare sub ipsorum non erit ullus odor.

Organa deficiunt stupidas gustantia linguas,

Cassa locuturæ guttura uocis habent.

Quid



Quid quod inutilibus nil possunt tangere palmis?  
 Quodq; pedes nunquam qui moueantur habent.  
 Illorum similes fiunt ea monstra parantes,  
 Et quicunq; in eis spem posuere suam.  
 At Domus Israël Domino confidat, ab ipso  
 Illius auxilium præsidiumq; uenit.  
 Semen Aaronium Domino confidite, ab ipso  
 Auxilium uobis præsidiumq; uenit.  
 Sperate in Domino quicunq; timetis, ab illo  
 Auxilium nobis præsidiumq; uenit.  
 Et memor est nostri Deus & facit esse beatos,  
 Quos Domus Israël, quos & Aaron habet.  
 Qui Dominum metuunt, non illis ulla decrit  
 Copia, felices quæ statuisse potest.  
 Felices timor ille facit discrimine nullo,  
 Siue quis hinc magnus, siue pusillus erit.  
 Addet ad hæc uobis, cumulataq; lucra reponet,  
 His quoq; quæ nostræ semina stirpis erunt.  
 Vos data felices Domini clementia fecit,  
 Qui mare qui terras fecit, & astra poli.  
 Mænia lucentis Deus incolit ardua mundi,  
 Humano generi terrea regna dedit.  
 Nemo tuas laudes post ultima fata loquetur,  
 Nec nigra perpetua quæ loca nocte silent.  
 Sed nos summe pater, modd tu patiare, tacebunt  
 Tempore ab hoc laudes sæcula nulla tuas.

Conclusso, No-  
 ster Deus non  
 talis est, ergo  
 merito eū lau-  
 damus & in eo  
 cōfidimus. At  
 que hic iterum  
 ingreditur cō-  
 memoratiōem  
 beneficiorum  
 Dei, et orat, ut  
 Deus benedi-  
 ctionem suam  
 super populū  
 suū confirmet.



Dilexi quoniam exaudiet &amp;c.

## ARGVMENTVM.

Prior pars Psalmi habet gratiarum actionem pro exauditis precibus & liberatione facta. Insignes promissiones quoque sunt ad dicitur, in secunda parte magnifice prædicat cultum Dei, ut patienter feramus eius uoluntatem, & inuocemus ac laudemus eum.

Conqueritur se dura pati, qui scilicet esset  
Confessus pura simplicitate fidem.  
Inde quod è curis animi grauioribus ipsum  
Erucrit, reddit carmina grata Deo.

Propositio gratiarum actionis.

Narrat periculum ex quo fit liberatus.

Epiphonema.

**C**ontigit hæc animi mihi nunc sincera uoluptas  
Quod Deus has prona percipit aure precum  
Quod solita nostras audit pietate querelas,  
Quem loquar hæc donec uita superstes erit.  
Iam mea mortiferi laquei deuincta tenebant  
Guttura, ab inferno non procul orbe fui.  
Turbarat totosurgens angustia sensus,  
In mortem assiduis cladibus actus eram.  
Tunc Dominum per uota uocans, ô maxime, dixi,  
Eripe, & hanc animam posse perire ueta.  
Pronus ad auxilium noster Deus ille ferendum est,  
Tam cito qui miseris fert miseratus opem.  
Simplicitate pios animos custodit, & ipsum  
Me quoque seruauit quando premendus eram.



Quare anime erigere, & certā tibi sume quietem,  
Nam te restituit qui tibi misit opem.

Cōsolatur se,  
& erigit ad agēdas gratias.

Tu Deus eripuisti animam cum fata timerem  
Pessima, de mortis conditione meam.

Tu mea sublato siccasti lumina fletu,  
Per te planta mei stat bene fulta pedis.

Ascendam Domini securus in atria, ut inter  
Curantes Domino uiuere, semper eam.

Cum mihi certa fides animum compleuerit, hinc est  
Quod Domini toties de pietate loquor.

Repetit priorē sententiā  
quod afflicus  
fuerit & orauerit,  
ac liberatus sit.

Mirificis tamen ipse modis afflicus agebam,  
Interea & multo fractus agone fui.

Cum male sperarem fugeremque per auia, dixi,  
Mendax omnis homo est, falsus & omnis homo  
In me collata quid pro pietate rependam? (est.)

Quæ Domini meritis præmia digna feram?

\* Lata salutiferæ fidei mihi pocula sumam,  
Et Domini repetens sæpe precabor opem.

Vota Deo quæcunque tuli, super omnia soluam,  
Indubiam populo conspiciente fidem.

Ante Deum preciosa solet mors esse suorum,  
Quos amat & uera conspicit ire uia.

Addictus tibi seruus ego, pater optime dicar  
Seruus & ancillæ filius esse tuæ.

Sententia de  
resurrectione  
mortuorum,  
Πάθ.

\* Vide quid promittat uicissim pro liberatione,  
hoc scilicet, quod uelit calicem Domini bibere, hoc est,  
patienter ferre afflictiones, & inuocare nomen Domini.  
Ac consolationis plenissimum est quod calici addit epi-  
theton salutaris.



Hoc est uotum  
primi præce-  
pti, agnoscere  
quod Deus sit  
noster Deus, et  
ei fidere, ac eū  
prædicare.

Nomen adorabo Domini super omnia sanctum,  
Et populo coram uota soluta feram.  
In medio Solymarum urbis mea uota rependam,  
Quæq; patent sanctæ limina celsa domus.

PSALMVS CXVII.

Laudate Dominum omnes Gentes.

ARGUMENTVM.

Prophetia est de Regno Christi, quod dicit esse regnum misericordiæ & ueritatis confirmatæ super Ecclesiam & huius regni cultores ac subditos Gentes dicit, ac cultum, laudare tam misericordem Dominum, his abrogat circumcissionem, Legem, cultus Iudaicos, maledictiones Legis &c.

Omnia regna orbis, Christo insula seruiet omnis,  
Agnoscent illum cuncta creata Deum.  
Gratia, pax, & amor regnum comitabitur illud,  
Vera fides, pietas, gloria, uita, salus.

Propositio. **L**audibus ò Gentes Dominū celebrate quot usquæ  
Cunq; capax magni circulus orbis habet.  
Nulla sit in cunctis adeo tribus abdita rebus,  
Quæ non gratifico prædicet ore Deum.  
Ratio. Quia ille etenim larga nos dexteritate reuisens,  
dominatur nobis misericordia & ueritas eius. Non sinit ingrata pestilitate premi.  
Ipsius æternos pietas quia summa per annos  
Permanet, & finem non habitura fides.

Psalmus



## PSALMVS CXVIII.

Confitemini Domino quoniam.

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Christi passione & glorificatione, sicut exponit Christus Matth. XXI. & Petrus Act. IIII. Magna pars ab initio sunt uoces Christi prædicantis in Israel, hoc est, in Ecclesia & inter electos, se in passione adiutum esse & sustentatum & glorificatum. Deinde hortatur ad gratiarum actionem. Orat pro successu Ecclesiæ & gratias agit.

Lætum Euangelij, pacis ueræq; salutis,  
Venturum populis nunciat esse diem.  
Grates lætus agit, coram cupit illa uidere,  
Gaudia, quæ Christo rege futura uidet.

**H**uc agite ô animæ cælestia munera. fassæ,  
Gratia quas Domini dextraq; larga fouet.  
Huc agite unanimi dignas expendite uoto,  
Quas Domino grates persoluisse decet.  
Munera in exhausta qui sufficit omnia dextra,  
Semper et expendens omnibus æqua facit.  
Cui quia sponte facit bona, quæ facit ista, rependi  
Pro tantis meritis gratia nulla potest.  
Namq; quod obruimur damnis, mala nostra meretur,  
Quod non perpetuo perdimur, ille facit.  
Dicite nunc genus Israël, data sceptrā tenentes,  
Quod bona perpetuo, quæ facit, ista facit.

Propositio.  
Laudate Dominum,  
quia bonus est.

R 5

Dicite



Dicite qui uera Dominum pietate timetis,

Quod bona perpetuo, quæ facit, ista facit.

Ergo ego in angustum dum me fors dura coarctat,

Solius, huic fidens, aucupor huius opem.

Nec patitur tristis frustra exercere querelas,

Et confert precibus commoda plura meis.

Non metuum ne quid noceat mihi perfidus hostis,

Dum mecum Domini dextra benigna manet.

Hoc duce quid poterit mihi uis humana nocere?

Hunc animum timor, hoc undice, nullus habet.

Auxilio præsens Deus est mihi, meq; tuetur,

Pro nihilo contra qui feret arma, feram.

Scilicet ut uicto iam tutus ab hoste triumphem,

Captaq; deridens agmina uictor agam.

Qui sapit in Domino mauult confidere, quàm se

Sperare humana uincere posse manu.

Tutius est, præstatq; Deo confidere soli,

Quàm se principibus credere mille uiris.

Innumerabilibus circumdatus hostibus angor,

Meq; premunt omnes friuola turba mali.

Horum ego præcidam ceu frondea robora uires,

Indeuicta Dei nominis arma gerens.

Circundant, circumueniunt, miserumq; fatigant,

Sed quibus hos uincam, qui ualet, arma dabit.

Sicut apes circumuolitant me, dum sua mittunt

Spicula, congestæ ne uiolentur opes.

Sicut ab incensis euertere sentibus ignem,

Sic properant in me, sic mea fata petunt.

Impulit ut caderem pronò manus impia lapsu,

Ne iaccam, Domini me pia dextra leuat.

Verum

Ratio propo-  
sitionis, quia ex  
audit, & libe-  
rat me, perti-  
nent autē hæc  
ad Christū hu-  
miliatum.

8



Verum ego præcidam defectum uiribus hostem,  
Indubitata Dei nominis arma gerens.

Robur & auxilium, mea laus, mea summa salutis,  
Est Deus, hinc uictrix est mea facta manus.

Gratiarum ac-  
tio quod sit li-  
beratus.

Vocibus exultant & cantibus omnia lætis,  
Atria iustorum nocte dieq; sonant.

Cōsolationes.

Dextra Dei uirtutē potens operata salutem est,  
Alta est terribili fulmine dextra Dei.

Dextra Dei uirtute potens facit omnia, uincit.  
Omnia, sola potens omnia dextra Dei.

Non moriar, sed ero uita conit ante superstes,  
Et laudes Domini magnaq; facta canam.

Prophetia: Fo-  
re ut hæc Chri-  
sti uictoria præ-  
dicetur in Ec-  
clesia.

Castigat sumto Dominus mea membra flagello,  
Nec tamen ad Stygias corpora trudit aquas.

Nunc mihi iusticiæ portas aperite, per illas  
Ingressus Domino munera grata feram.

Hoc iter ante Deū, Domino hæc gratissima porta est,  
Hæc pede iustorum sæpe terenda uia est.

Redit ad grati-  
arum actionem.

Gratia saluator tibi sit, quia sternis inermem,  
Prostratumq; noua uincere laude facis.

Qui reprobatus erat lapis ædificantibus olim, **AB**  
Extractæ summum sustinet arcis opus.

Hoc operatus opus Deus est, quod nostra uidentes  
Lumina mirari, non satis ulla queant.

Hæc est illa dies toti celebrabilis orbi,  
Quem facit & proprio signat honore Deus.

Omnis in hac populus Domino celebremus honorem,  
Læticia exultent pectora nostra noua.

O Deus auxiliare, & opem fer, mitte salutem,  
Gratia successu cæpta sit ista bono.

Orat pro reg-  
no hoc.

Felix.



Felix à Domino lustrandum nissus in orbem,  
 Qui uenit & titulum nominis huius habet.  
 Luce noua Dominus nostras illuminat umbras,  
 Atrâq; discussa nubila nocte fugat.  
 Atria flexilibus uncite uirentia ramis,  
 Aurea qua geminis cornibus ara coit.  
 Tu mihi tu solus Deus es, tibi debita soli,  
 Non alij potero soluere uota Deo.  
 Soluite nunc animæ cælestia munera fassæ,  
 Quas Domino grates persoluisse decet.  
 Eia nunc Domino dignas persoluite grates,  
 Qui bona perpetuo, quæ facit, ista facit.

ἱπὶ φωνῆμα

## PSALMVS CXIX.

Beati immaculati in uia &c.

## ARGUMENTVM.

Petit Propheta per totum Psalmum, ut seruetur in uerbo Dei. Addit autem magnificas commendationes uerbi, quod doceat, moueat, gubernet, consoletur, saluet, quod seruet a peccatis, & non fallat. Sunt autem hæc omnia accipienda exclusiue, quod sine uerbo nihil horum possimus obtinere. Habet igitur passim additam ἀντίθεσιν de impis doctoribus & doctrinis.

Hoc ita sunt magnæ prolixo in carmine uires,  
 Ut dubites maior copia, uis ne prior.

Afferit



Afferit, extollit diuini oracula uerbi,  
Materiæ hic uates nil potioris habet.

## OCTONARIUS. I. Aleph.

**F**elices quicumq; agitant sine crimine uitam,  
Qui leges Domini, quas meditentur, amant.  
Felices Domini quicumq; oracula seruant,  
Et faciunt toto corde quod ille iubet.  
Hi siquidem scelerum nihil admisere, nec unquam  
Præscriptas Domini deseruere uis.  
Tu seruanda pater nobis mandata dedisti,  
Omnia ut eloquij sint rata iussa tui.  
O sic tota meæ ratio sit cognita uitæ,  
Ut seruem legi debita iusta tuæ.  
Tum me non aliquis pudor occupet, omnia possim  
Si mea præceptis facta adhibere tuis.  
Nunc ego te recto celebrabo pectore, postquam  
Iusticiæ didici iura tenenda tuæ.  
Iudicij iurisq; tui mandata capeſſam,  
Ne rogo me tantum deseruisse uelis.

## OCTONARIUS. II. Beth.

Quid iuuenis faciet sceleri ut sit purus ab omni?  
Si uerbis faciet consona facta tuis.  
Te tibi deuoti tota ui cordis amabam,  
Fac precor, ut quæ tu præcipis, ipse sequar.  
Cordis in arcano tua uerba reposta ferebam,  
Ne qua agerem forsitan, non placitura tibi.  
Tu pater omnipotens laude es dignissimus omni,  
Me tua quæ faciam, quæſo statuta doce.

In tu

Πάθῳ.

Constât autem  
singuli fere o-  
ctonarij hoc en-  
thymemate, sicut  
mum bonum est  
habere uerbum,  
ergo o Domi-  
ne me in uerbo  
tuo serua, ante  
cedens uariar.  
nunc hæc nunc  
alia uerbi com-  
moda osten-  
dens.

Nota, uerbum  
seruat, ne pec-  
cemus & con-  
fundamur co-  
ram Deo.

Magna com-  
mendatio uer-  
bi, quod ser-  
uet in innocen-  
tia.



In tua adhærentem linguam decreta resoluam:  
 Quot quot sermones parturierè tui.  
 Tam mihi quæ promiss tua sunt oracula cordi,  
 Copia quàm rerum nulla placere queat.  
 Assidue mandata loquar quæcunq; dedisti,  
 Respiciamq; tuæ signa terenda uicæ.  
 Oblectabor adhuc tua sancta statuta capeffens,  
 Nec uerbi potero non memor esse tui.

## OCTONARIUS III. Gimel.

Affere me supreme parens, ut uiuere possim,  
 Vt tua iussa ferens & tua uerba sequar.  
 Pande oculos animi, ut mysteria cernere possim,  
 Quæ miracula tuæ plurima legis habent.

Quod in hacui  
 ta peregrinan-  
 eibus unica cõ  
 solatio sit uer  
 bũ contra mun  
 di furorem.  
 Sine uerbo da  
 mnatio.

Rebus in humanis peregrinus & aduena uersor,  
 Ne tua me lateant prodita iussa precor.

Atterritur uis ægra animæ, dum quærit in omni  
 Tempore, iudicij consilia æqua tui.

Corripis elatos, genus execrabile sunt,  
 Qui tua iussa negant tam speciosa sequi.  
 Fac procul hinc probrũ, ut custodire omnia pergam,  
 Quæ sunt ex adytis reddita uerba tuis.

Verbum Dei  
 consiliarius no  
 ster.

Confedere duces me contra multa locuti,  
 Ad tua sunt partes facta statuta meæ.

Talibus oraclis ceu consultoribus utor,  
 Qualia delectant me sine fine, tuis.

## OCTONARIUS IIII. Daleth.

Verbum con-  
 solatur.

Stratus humi iacui, prope mors fuit improba, sed tu  
 Affere me uerbi conditione tui.

Narratio



Narranti mea facta mihi responsa dedisti,  
 Me tua sectari posse statuta doce.  
 Certa mihi quam tu mandas, uia constet, & omnes  
 Res mirande tuas, & tua facta canam.  
 Effluit hic animus uelut anxietate liquescens,  
 Erige promissi me ratione tui.  
 Falsam tolle uiam, uitæ genus aufer iniquum,  
 Et mihi dona fæue legis amica tuæ.  
 Vitæ genus elegi uerumq; piūq;  
 Certus ab edictis non resilire tuis.  
 Oraclis hæc tuis mihi certa uoluptas,  
 Ne sine confusum scandala fæda pati.  
 Prescripto tua iussa sequens, ceu tramite curram,  
 Tu mea cælesti corda leuabis ope.

Verbum gu-  
 bernat.

## OCTONARIUS V. He.

Cognita fac teneam legum decreta tuarum,  
 Atq; ea clausa meo pectore semper erunt.  
 Ut possim seruare tuam fac me instrue legem,  
 Ipsius ut toto pectore nomen amem.  
 Deduc me per iter per quod tua iussa petuntur,  
 Namq; in eis constant gaudia summa mihi.  
 Ad tua me placidis inclina oracula uerbis,  
 Non ad turpe lucrum, non ad auaritiam.  
 Verte meos oculos ne peccent uana uidentes,  
 Inq; uiuax sit mea uita tuis.  
 Confirma promissa tuo tua præstita seruo,  
 Ut mea sit melior uita timore tui.  
 Tolle procul quoniam metui mala nomina famæ,  
 Iudicij etenim est gratia mista tuis.

Verbū seruat  
 a peccatis.

En



En tua ne dubites mandata ego semper amavi,  
Viuerē iusticiæ me fē amore tuæ.

## OCTONARIUS VI. Vau.

Prouebat aura tuæ nostrum pietatis amorem,  
Pectora pollicita nostra salute fōue.  
Vt sit quod referam tibi probra indigna ferenti,  
In uerbo est etenim spes tibi tota tuo.  
Ne aufer ab ore meo uerum, neu mentiar unquam,  
Iudicij expecto iura ferenda tui.

Verbum facit  
animosus.

Constabit tibi summa tuæ custodia legis  
Perpetuo, ulterius si quid & esse potest.  
Vt securus eam loca per spaciōsa, nec unquam  
Offendam cupidus dum tua iussa sequor.  
Sceptrigeris decreta loquens tua regibus edam,  
Nec pudor, inceptum qui uetet, ullus erit.  
Mandatis parere tuis delector, & illa  
Non est res culta dignior ulla meo.  
Ad tua iussa manus tollam quæ semper amavi,  
Et tua non falso corde statuta loquar.

## OCTONARIUS VII. Zain.

Verbum erigit  
& solatur.

Ergo tui misero tibi nunc reminiscere uerbi,  
De quo concepta est spes animosa tibi.  
Hinc omnis misero tibi consolatio uenit,  
Nam tua me faciunt uiuere uerba tibi.  
Insultant tibi, plus iusta feritate superbi,  
Cultor adhuc Legis sum tamen ipse tuæ.  
Iudicia antiquis repeto tua ab usq; diebus,  
Et tibi solamen quod iuuat, inde uenit.

Hort



Horresco stolidæ spectans scelera impia turba,  
 Quæ potuit legem deseruisse tuam.  
 Legis iusta tuæ mihi sunt pro carmine dulci,  
 Donec in hoc tecto corporis exul ago.  
 Nocte memor uigili repeto tua nomina sensu,  
 Nec legis mihi pars excidit ulla tuæ.  
 Id mihi summopere curæ fuit, ut tua seruem  
 Irrita non ullo iussa futura die.

## OCTONARIUS VIII. Heth.

Sors mea, dicebam, pars hæc mihi sola relicta est,  
 Oris ut asseruem singula uerba tui.  
 Sæpe tuum studui mihi conciliare fauorem,  
 Promissam uerbis fer mihi rebus opem.  
 Ipse meos meditor studio non deside gressus,  
 Conuerto q̄ meos ad tua iussa pedes.  
 Me festinantem dilatio nulla morata est,  
 Dum studeo iussis moriger esse tuis.  
 Impius abducens prædas mihi uncla minatur,  
 Non tamen oblitus legis aberro tuæ.  
 Nocte seram grates media, tua munera fassus,  
 Iudicijs quod sint omnia iusta tuis.  
 Qui te cunq; timent socijs his omnibus utor,  
 Qui tua firmato pectore iussa tenent.  
 O genitor cuius tellus pietate redundat,  
 Da mihi præcepti nosse statuta tui.

## OCTONARIUS IX Theth.

Quam bona, sed nunquam merito mihi, dona dedisti,  
 Pollicitum genitor te memor ista mihi.

S

Nosse



Noſſe bonos mores & in omnibus eſſe modeſtum  
Da mihi, mandatis pareo nempe tuis.

Tentatio facit  
ut uerbum ob  
ſeruemus, ſicut  
Iſaias dicit :  
Vexatio dat in  
tellectum.

Errabam, fateor, ſed nondum afflictuſ, ut autem  
Mens redit, in uerbo eſt ſpes mea tota tuo.

Natura placidus cum ſis & ad omnia dexter,  
Pro bonitate tua, me tua iuſſa doce.

In me fingebant mendacia multa ſuperbi,  
Ipſe tua attento pectore iuſſa ſequor.

Triſte coriſorum & ſtupidum pinguedine multa,  
Me tua lex magni ponderis inſtar habet.

O bene me paſſum tot iniqui incommoda ſati,  
Nam tua lex facta eſt notior inde mihi.

Iuſticiae doctrina tua mihi carior auro eſt,  
Hac etiam argentum uilius inſtar habet.

## OCTONARIUS X. Ioth.

Tu Deus omnipotens tu me, qui cuncta creasti,  
Fac tua me docto pectore iuſſa ſequi.

Verbū propo-  
nit miſericor-  
diā Dei, ea ſo-  
la conſolatur  
& erigit affli-  
ctos.

Qui te cunq; timent, læto me lumine ſpectant,  
Nam uerbi maneo iura fidemq; tui.

Quod decreta pater tua ſint æquiſſima noui,  
Qua merito patior iuſta flagella fide.

Nunc tamen afflictuſ ſolare & parce iacenti,  
Siſq; ea pollicitum te memor eſſe mihi.

Me bonitate tua ſoueas ut uiuere poſſim,  
Nam mea ſunt leges gaudia ſumma tua.

Ab pereant qui falſa ſtruunt mihi probra ſuperbi,  
Nunc quoq; ſermones ſunt tua iuſſa mei.

Qui te cunq; timent, iaceant ſua fœdera mecum,  
Qui monitis parent nocte dieq; tuis.



Mandatis mea corda tuis purissima fiant,  
Ne mea confusus contegat ora pudor.

## OCTONARIUS XI. Caph.

Deficit hæc sperans abs te mea uita salutem,  
Pono tamen sperans in tua uerba fidem.  
Quando erit ut uideam quæ tu promissa dedisti?  
Quando tu misero mite leuamen eris?  
Factus ut uter eram fumo contractus in arctum,  
Non tamen à iussis uisus abire tuis.  
Tempus ut ista feram, quantum est quod demde supersit?  
Quando dabunt pœnas qui mihi damna ferunt?  
In quam deciderem foueam fodere superbi,  
Doctrinæ siquidem non meminere tuæ.  
Omnia sunt præcepta tuæ fidissima legis,  
Opprimor immerito, tu potes, affer opem.  
Pene graui totum me depressere ruina,  
Non tua deserui iussa ferenda tamen.  
Pro pietate tua uitæ me redde salubri,  
Ut decreta tuæ legis amare queam.

Qui uerbū ha-  
bent, non care-  
bunt afflictio-  
nibus.

## OCTONARIUS XII. Lamed.

Perpetuo tua uerba Deus firmissima constant,  
Nec tantum in cœlis est ea certa fides.  
Perpetuo tua promissis constantia stabit,  
Non secus ac manibus condita terra tuis.  
Stant hodieque manent quæ tu rata cunq; talisti,  
Imperio nam sunt subdita cuncta tuo.  
Ni tua lex misero solatia uera tulisset,  
Sub grauibus poteram sæpe perire malis.

Verbū certum  
est, & non fal-  
lit.



Nunquam igitur tua causa meo de corde recedet,  
 Inde refrigerij nam uenit aura mei.  
 Sum tuus, esse tuum patiare, per omnia serua,  
 Qui tua, quæ mandas, omnia uerba sequor.  
 Insidias scelerata struunt mihi turba maligni,  
 Omnis in oraclis est mea cura tuis.

Verbum Do-  
 mini manet in  
 æternum. Omnia sunt habitura aliquem cum tempore finem,  
 Mandati series est sine fine tui.

## OCTONARIUS XIII. Mem.

Verbū uincit. Vt mihi grata tua est lex, ut iucunda uoluptas,  
 Hæc loquor, hæc nunquã non memorãda mihi est,  
 Hostibus hæc præstare meis in lege dedisti,  
 Perpetuo siquidem me penes ipsa manet.

Sic Ioannes in  
 Canonica, sci-  
 tis omnia, non  
 est opus ut quis  
 quam uos do-  
 ceat. Ipse meis cœpi prudentior esse magistris,  
 Quod sit in oraclis mens mea tota tuis.  
 Cautior euasi studio sermonibus ipsis,  
 Dum fero mandati ponderã grata tui.

Ne uia falsa meus abducat in auia plantas,  
 Prouideo absistant ne tua uerba mihi.

Edictis non ulla tuis me cura remouit,  
 Tu tua me quoniam iura tenere doces.

Quam tua uerba meo sapiunt iucunda palato,

Nulla magis fingi dulcia mella queant.

Erudiunt mandata tuæ mea pectora legis,

Hinc odio fallax est iter omne mihi.

## OCTONARIUS XIII. Nun.

Verbum ceu lu-  
 cerna in tene-  
 bris dirigit. Vt laterna pedes, sic me tua uerba gubernant,  
 Lampas ut extenta quæ face monstrat iter.



Iuravi, perstoq; libens edictaq; seruo,  
 Quæ seruanda tuo præcipis ore mihi,  
 Afflictus miserè iaceo, miserere iacentis,  
 Et te hoc pollicitum, sis memor, esse mihi.  
 Quæ tibi gratificis uelut offero munera uerbis,  
 Accipe, & edicti me tua iura doce.  
 Est mea continuis obnoxia uita periculis,  
 Nec mihi cura tamen legis adempta tuæ est.  
 Fallacem in fonti laqueum posuere scelesti,  
 Nec tamen à iussis me pepulere tuis.  
 Sunt tua ut hæredi mihi culta oracula iusto,  
 Deliciæ cordis sunt tua uerba mei.  
 Prono corde tui sequar omnia prodita uerbi,  
 Certa erit æterni temporis ista fides.

Oratio est sacrificium.

Fortuna pioꝝ

OCTONARIUS XV. Samech.

Consilia exosos habui scelerata patrantis,  
 Ebrius æterno legis amore tuæ.  
 Pro clypeo tua dextra mihi est, pro uindice scuto,  
 Nam uenit ex uerbo spes mea tota tuo.  
 Ite procul reprobis obnoxia pectora factis,  
 Ut seruem, Dominus quæ mihi iussa dedit.  
 Verbis me tutare tuis ut uiuere possim,  
 Neu frustrere spei dulcia uota meæ.  
 Conforta mea corda, salus me certa tenebit,  
 Ut tua perpetua uoce statuta loquar.  
 Conculca quicumq; mali tua iussa relinquunt,  
 Quicquid enim faciunt, semina fraudis habet.  
 De terra ceu quisquillas, ita tollis iniquos,  
 Propterea oracli diligo iussa tui.

Impij doctores non insistentes uerbo.

Extra uerbum non est salus.



Aegratimore tui caro corporis horruit huius,  
Iudicij expaui fulmina iusta tui.

## OCTONARIUS XVI. Ain.

Omnibus in rebus facere æqua & iusta studentem

Ne tradas reprobis qui mihi damna parant,

Oblecta bonitate tuum & dulcedine seruum,

Ne uim gens faciat flagitiosa mihi.

Caligant oculi spectantes unde salutem

Promissam misero quælibet hora ferat.

Misericordi-  
am urget. - Pro bonitate tua mecum fac, & utere seruo,

Vt tua me doceas posse statuta sequi.

Maxima seruili ueneror tua numina cultu,

Me tua ut obseruem testificata doce.

Tempus ut id facias Deus appetit, impia pœnas

Turba det, in leges flagitiosa tuas.

Hinc est quod tua iussa sequar, complecter amemq;

Plus auro, & si quid dignius esse potest.

Propterea tua iussa sequor, tibi pareo soli,

Cætera nil ueræ uita salutis habet.

## OCTONARIUS XVII. Phe.

Admiranda tuis sunt quæ tu oracula reddis,

Sunt & ob hoc animæ maxima cura meæ.

Verbum con-  
solatur & do-  
cet. - Cuncta tuum ueniens renouat ceu lumine uerbum,

Vt sapiant stupidis pectora docta facit.

Sicut anhelus eram gemitum de pectore ducens

Vsq; adeo tua sunt iussa cupita mihi.

Respice dignatus placido mea pectora uultu,

Quo tua qui redamant nomina magna soles.



Ad tua uerba meos ne peccent dirige gressus,  
 Impietas regnet ne precor ulla mihi.  
 Ne grauet ulla meos humana calumnia mores,  
 Sic quæ tu proprio iusseris ore sequar.  
 Irradia mihi luce tui mitissime uultus,  
 Et tua me, misso lumine, iussa doce.  
 Sicut aquæ largos fundunt mea lumina uiros,  
 Dum uideo legis culta perire tuæ.

Zelus] piorum

## OCTONARIUS XVIII. Zade.

Iusticiæ tua dextra potens iustissime rerum,  
 Semper iudicij est recta statera tui.  
 Iusticiæ sunt plena tuis oracula uerbis,  
 Reddita stant fidei pondera firma tuæ.  
 Quam, uix credibile est, animo sim passus iniquo,  
 Contemnunt hostes quod tua uerba mei.  
 Non secus ac purgata igni tua iussa relucet,  
 Hei quantum famulo dulcia iussa tuo.  
 Quamuis paruus eram, quamuis abiectus habebam,  
 Ad tua iussa tamen non titubanter eo.  
 Iusticiæ decreta tuæ sine fine manebunt,  
 Tempore perpetuo lex tua uera manet.  
 Cum miser ærumnis afflictus & anxius essem,  
 Tunc tua iussa mihi causa salutis erant.  
 Perpetuis tua sunt oracula certa diebus,  
 Da mihi ut hæc possim noscere, uiuus ero.

Verbum est  
 certum.  
 Verbum cong  
 solatur.

## OCTONARIUS XIX. Kuph.

Exaudi omnipotens toto te corde uocantem,  
 Vt tua sint animo fixa statuta meo.

S 4

Mitte



Vide quanto  
studio pro uer-  
bo oret.

Mitte tuam querula clamanti uoce, salutem,  
Oracula ut cura sint tua sancta mihi.  
Vociferor tibi nondum orti sub lumina solis:  
Nam ratio uerbi est spes mea tota tui.  
Nocte sub excubiis oculis uigilantibus asto,  
Ut uerbi mediter de ratione tui.  
Supplicis exaudi querulam mitissime uocem,  
Qua quae soles uitam da pietate mihi.  
Proxima facta mihi est ugens me turba malorum,  
Sed procul a lege est Gens scelerata tua.  
Tu prope es omnipotens, nobis tu proximus astas,  
Nec tua iussa aliud mobile pondus habent.  
Dudum certus eram, tua dudum oracula noui,  
Sic rata, quod nullo sint peritura die.

## OCTONARIUS XX. Res.

Respice ad aerumnas miseri, sustolle iacentem,  
Legis enim nequeo non memor esse tuae.  
Assere me, causa quae meae te praebet patronum,  
Certior est uerbo sit mea uita tuo.  
Vera salus longe est ab agentibus impia cunctis,  
Iussa etenim Legis non coluere tuae.  
Multis magna modis pietas tua maxime rerum,  
Me pro more tuo uiuere posse faue.  
Quis numeret quam me conentur perdere nulli,  
Non tua praeterco sancta statuta tamen.  
Vidi sacrilegos, et iniqua mente ferebam,  
Optima pro nibilo quod tua dicta ferant.  
Ipse uides quod amem, tua quod mandata capebam,  
Da solita uitam pro bonitate mihi.



Primæ uerborum tua uerba ab origine constant,  
Iustitiæq; fides non peritura tuæ.

## OCTONARIUS XXI. Schin

Immeritum me fraude petunt odioque tyranni,  
Cor tremat & uerbo mens pauet ista tuo.  
Verba uoluptatis tua plus mihi sæpe tulerunt,  
Quàm si sit diues præda reperta mihi.  
Odi mendaces, & abominor omnia uana,  
At secreta tuæ dulcia legis amo.  
Terque quaterque die celebros te laudibus omni,  
Iudicij propter iusta statuta tui.  
Pax erit alta tuæ scrutantibus abdita legis,  
Nil offendiculi quod uereantur erit.  
Expecto tribuenda tuæ promissa salutis,  
Et uox, ut facerem, quæ tua iussit, ago.  
Ex animo tua summe parens oracula seruo,  
Quæ nihil huic animæ carius esse potest.  
Observo quæcunq; iubes, quæ es cunque locutus,  
Omnia nanque uicæ sunt tibi nota meæ.

Iustificati fide  
pacem habemus  
apud Deum.

## OCTONARIUS XXI. Thau.

Accipe quæso meam facili pater aure querelam,  
Fac sapiam uerbi sensa profunda tui.  
Flebile quæsta tuas mea uox ascendat ad aures,  
Polliciti serua me ratione tui.  
Tunc tua facta cana, tunc te mea lingua loquetur,  
Cum tu me institues, ut tua iussa sequar.  
Tunc ego magna tui uerbi mysteria dicam,  
Nam sunt præcepti iusta statuta tui.



*Auxilio tua dextra leuet me magna salubri,*

*Namq; electa animo sunt tua iussa meo.*

*Nam dubitante tuam quæsiui corde salutem,*

*Nam rapior totus legis amore tuæ.*

*Da uita superante tuas me dicere laudes,*

*Vt sit mandatis officiosa tuis.*

*Sicut ouem pater errantem me quæso requiras,*

*Mandati oblitus non sperar esse tui.*

*Finis Octonariorum.*

P S A L M V S C X X.

**Ad Dominum cum tribularet  
clamaui.**

A R G V M E N T V M.

Est precatio qua Propheta orat se defendi aduersus mendacem linguam, hoc est, ab impia doctrina, quam comparat acutis telis & ardentibus. Quod ad titulum attinet, uariant interpretes, quidam a genere toni dictos putant, quod alta uoce canerentur. Quidam exponunt canticum exultationum, hoc est, conclusionis, quod in fine sint cantati. Germanica translatio a loco nominatos putat, quod in æditiore parte templi sint decantati.

*Quàm noceat puro uesana calumnia uerbo,*

*Hæc imo ex animo ducta querela monet.*

*Peſſo*



Pessis enim fidei non ulla nocentior extat.  
 Quam quæ ex insidijs lingua dolosa nocet.

Canticum graduum.

**C**um miser arumnis duris affligerer, & me  
 Irata traheret fors uiolenta manu:  
 Auxilium Domini supplex in uota uocabam,  
 Cassa nec auxilio uerba uocantis erant.  
 Eripe me Deus inuidiæ de fauce bilinguis,  
 Ne noceat grauibus lingua referta doli.  
 Quid tibi contulerint uanæ mendacia linguæ?  
 Quid rogo perficiet lingua dolosa tibi?  
 Id quod acuta uiri potuerunt tela potentis,  
 Quod de iuniperis torrida pruna potest.  
 Heu quod in exilio cogor durante morari,  
 Sub casulis Cedari tristibus esse comes.\*  
 Multa diuq; uiris sum conuersatus iniquis,  
 Qui tranquilla odio commoda pacis habent.  
 Pacis amans quoties illis de pace loquebar,  
 Arma auida toties corripuere manu.

PSALMVS CXXI.

Leuaui oculos meos in montes.

ARGUMENTVM.

Est promissio Ecclesiæ, quod Deus eam respiciat ac audiatur, etsi nonnunquam desertam uideretur. Habet autem promissioni subiectam elegantem & necessariam precatiunculam.

Hortas.

Narrat periculum.  
 Propositio.

Amplificat periculum impiorum dogmatum insignibus similitudinibus.

Πάθος.  
 quo repetit positionem & periculum exponit.

\*  
 Iudæis ad meridiem erant Arabes seu Cedari, et Mesech ad septentrionem.



Hortatur constare fide pietatis amantes,  
 Expectare Dei non retrahentis opem.  
 Quam licet interdum sub amarum differat boram,  
 Non tamen ad summum deseret ipse suos.

Narratio plena  
 suauissimis  
 consolationibus.

Canticum graduum.

**C**ircunquaq; oculis uigilantibus omnia specto,  
 Auxilij misero spes erit unde mihi?

**A** Domino spes auxilij mihi certa futura est,  
 Qui terram artificii fecit & astra manu.

Non usquam tibi pes isto custode labascet,  
 Tempora qui placidi nulla soporis agit.

Deus uigil, curas  
 suas suae Eccle-  
 siae.

Nunquam securæ petet ocia blanda quietis,  
 Pastor in Israël per uigil ille suo.

Te Deus obseruat præsens tibi semper, ut umbra  
 Te, uelut inclusum, protegat ipse sua.

Feruida ne noccat tibi sideris aura diurni,  
 Nec te nocturni frigoris urat hiems.

Precatio,

Curet te Dominus, te crimine seruet ab omni,  
 Custos uitae sit Deus ipse tuæ.

Ipse abitum, reditumq; tuum custodiat, ex hoc  
 Tempora in æternos, sæcla futura, dies.

PSALMVS CXXII.

Latatus sum in his quæ dicta sunt.

ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio, quod Deus confert  
 uat uerbum & Ecclesiam. Ac sane hoc benefi-  
 cium, sicut meretur, magnifice com-  
 mendat Propheta. Deinde etiam precatur,  
 ut



ut hoc beneficium Deus Ecclesie suae perpetuo seruet.

Letatur prodisse sacri mysteria uerbi,  
In certo quae sint inuenienda loco.  
Noster hic & certus locus, est Ecclesia Christi,  
Quam nulli Monachi, sed Deus ipse docet.

Canticum graduum.

L Aetus eram, quando ista meas uox uenit ad aures,  
Diuinae intremus limina sancta domus.  
Firmabant sibi certa pedes uestigia nostri,  
Hierusalem portas inter & ante tuas.  
Hierusalem quae nomen habes, decus urbis & instar,  
In qua conueniens ciuibus ordo manet.  
Cuius ad alta solent ascendere mœnia cœtus  
Israëlis ager quotquot & orbis habet.  
Illic ut Domino narrent præconia laudum,  
Quae de sorte tua sunt Iacobe tribus.  
Istic iudicij solium consistit, in ista  
Stirpis Iesseae constat in arce thronus.  
Sacris perpetuam Solyms optate salutem,  
Felix tam sanctae qui decus urbis amat.  
Longe dona habitent intra tua mœnia pacis,  
Diuitijs cedant omnia regna tuis.  
Propter cognatosq; meos fratresq; precabor,  
Ut tibi sit socia pulcra quiete salus.  
Diuinae decora alta domus & propter honorem  
Quo tibi cunq; queam nomine, fautor ero.

Psalmus

Narratio, in qua exponit beneficium, quod Deus Ecclesie suae donat.

Cultus Dei docere & audire uerbum & facta Dei.

Votum, oportet enim Ecclesiam iuari precibus piorum.

Sic singuli debent pro modo sui doni, ornare & iuuare Ecclesiam.



Ad te leuaui oculos meos qui.

ARGVMENTVM.

Est oratio Ecclesie in mundo contenta  
contra falsos fratres, & uerbi hostes.Maxima pars ita uerba Dei, uerbiq; ministros  
Spernit, ut in summa iudicet esse nihil.

Hos contra querula Dominum nunc uoce precatur,

Hos contra toto pectore querit opem.

Canticum graduum.

Querimonia  
quam ampli-  
cat indigna col-  
latione.

**A**D te summe opifex rerum, qui limina cœli  
Incolis, & nutu cuncta creata moues:  
Ad te tollo oculos uicina morte grauatos,  
Qua sine in his nemo uallibus esse potest.  
Sicut heros etenim famulorum intenta tuentur  
Lumina, & ad nutus omnia prompta gerunt:  
Qualiter obseruant dominæ mandata ministræ,  
Ut, si quid digitis innuat illa, parent:  
Sic oculi obseruant nostri Dominumq; fatentur  
Et nostrum, obsequijs omnibus, esse Deum.  
Donec in hac longa miseratus morte iacentes  
Spectet, & ad uitæ limina pandat iter.

Precatio.

Vide quomo-  
do uera Eccle-  
sia in mundo  
habeatur.

Fessorum miserere parens, miserere iacentum,  
Qui tam contenti, tam sine honore sumus.  
Plus nimio creuere malis ludibria nostri,  
Qui nos nunc etiam uiuere turpe putant.  
Præcipue nos ludibrijs risuq; sequuntur,  
Quorum diuitijs corda superba tument.

psalmus



Nisi quia Dominus erat in nobis.

## ARGVMENTVM.

Est suavis consolatio Ecclesiæ in mundo afflictæ, & gratiarum actio pro fidei patrocinio, quod Deus Ecclesiæ suæ præstat contra furorem Sathanæ & mundi, quem furorem egregie pingit Propheta.

Paruulus ille Dei grex est quem perdere quærunt,  
 Obliuiscunt Sathanæ millia multa gregis.  
 Grex tamen ille Deo stat uindice paruulus, & se  
 Indicat istorum non timuisse minas.

Canticum graduum David.

**A**uxilio Dominus nisi nobis ipse fuisset,  
 Sic Israël concio tota sonet.  
 Ni Deus à nobis dextra auxiliante stetisset,  
 Cum premerent dura tempora nostra dies.  
 Præ rabido certè uiuos nos ore uorassent,  
 Tam furor illorum, tam fuit ira minax.  
 Tam uelut hausissent medijs nos fluctibus undæ,  
 Præcipitis torrens unda tulisset aquæ.  
 Non superanda animæ sensissent flumina nostræ,  
 E quibus haud aliqua diriperentur ope,  
 Laus & honor Domino qui nos de fauce malorum  
 Seruat, & his prædam dentibus esse uetat.  
 Ut tener è laqueo coram auolat aucupe passer,  
 Sic anima insidijs libera nostra fugit.

Rupta

Narratio, in  
 qua commemorat  
 beneficium  
 liberationis.

Insignes simili-  
 tudines, com-  
 parat hostes Ec-  
 clesiæ furenti-  
 bus leonib. &  
 impetui flumi-  
 nis.

Gratiarū actio

Insignis exag-  
 geratio piculæ



Rupta quidem positi sunt omnia uincula retis,  
Et nos hinc reduces libera turba sumus.

Epiphonema. *Nostri salus, nostra auxilij spes omnis ab illo est,  
Qui Deus, & terras, fecit & astra poli.*

## PSALMVS CXXV.

Qui confidunt in Domino sicut.

## ARGUMENTVM.

Est promissio & oratio Ecclesie contra  
hostes, quod Dominus sit liberaturus san-  
ctos, & glorificaturus.

Quamuis sepe malos patitur regnare, suorum  
Puniat ut uerbo pectora clausa Deus:  
Iudicio tamen horribili tandem omnia uertit,  
Ut pius hic uera uoce Poeta canit.

## Canticum graduum.

## Propositio.

Amplificatio a  
collatione, non  
montibus ma-  
gis defensa est  
Hierusalē qua  
auxilio domi-  
ni.

**I**N Domino quibus est fiducia uera, manebunt  
Immoti, ut rupes inuiolata Sion.

Hi neque concussi quatientur casibus ullis,  
Illos perpetuo nulla ruina premet.

Ut montes cingunt Solymæe mœnia Gentis,  
Et circum colles urbs habet ista suos:

Sic Deus hunc cingit populum quem diligit, ex hoc  
Aeui dum ratio est ulla futura super.

Quare turba suum non profereat impia sceptrum  
Iustorum, in sortem quam pia turba tenet.

Repetit propo-  
sitionem, inui-  
sti non domina-  
buntur iustis.

Ne forte incipiant iusti mala facta uidentes  
Extendisse suas ad mala facta manus.



Propitiare bonis tribuens bona, adesto benignus  
 Mi Deus, his quorum pectora recta uides.  
 At quicumq; uia uerae probitatis aberrant,  
 Factaq; qui reprobi praua sequantur habent.  
 Hos Deus annumeret sceleratis, pace fruatur  
 Perpetua Israël ocia pacis agat.

Precatio.

Comminatio.

PSALMVS CXXVI.

In conuertendo Dominus captiuit.

ARGUMENTVM.

Gratiarum actio & promissio est libera-  
 tionis ex captiuitate, quam populus Israel  
 in Babylone est passus, & Ecclesia in mundo  
 uarie patitur omnibus temporibus.

Liber ab Assyrijs grates canit ille pusillus  
 Grex populi, septus cœtibus innumeris.  
 Hic grex in lacrimis quoniam sua semina misit,  
 Lætus adulta metens horrea plena refert.

Canticum graduum.

**C**um Deus abducto sua redderet arua Sioni,  
 Visus ab exilio restituisse suos:  
 Esse uidebatur ceu somnia uana uidentes,  
 Tam mens læticiæ non potis ulla fuit.  
 Tum risu nobis fluxerunt ora soluto,  
 Lætificum linguæ concinuerunt melos.  
 Tunc Gentes etiam sunt talia uerba locuti,  
 Quam multa his Dominus quantaq; dona dedit?

Narratio bene-  
 ficij.

Amplificatio.

T Fecit



Fecit enim Dominus nobiscum magna profecto,  
Læticiæ hæc nobis causa perennis erit.

Oratio.

Affere ab exilio, captorum vincula relaxa,  
O qui solus habet, qua medearis, opem.

Suauiſſima ſi-  
gura qua con-  
ſolat afflictam  
Eccleſiã, quod  
lacrimæ priorũ  
ſint ceu nobile  
femen, ex quo  
gaudium & va-  
rij ſuaues fruc-  
tus enaſcantur

Sic nos afficies, mediæ ceu terra diei

Solibus uſta, nouis lætificatur aquis.

Qui ſua condiderunt in terram ſemina flentes,

Farra, ſuis læti rebus, adulta metent.

Ibant ut ſererent quæ ſemina pulcra ſerebant,

At lacrimis flentes immaduerere genæ.

Nunc demeſſa ſuis portantes farra manipulis,

Læticiaredeunt ſe comitante noua.

## PSALMVS CXXVII.

Niſi Dominus ædificauerit domum.

## ARGUMENTVM.

Continet Pſalmus utilem doctrinam, qd  
in Repub. & Oeconomia humani conatus  
ſint inutiles, niſi diuina benedictione fortuna-  
rentur, ſecundum ſententiam Salomonis  
Benedictio Domini diuites facit.

Non opus humanæ eſt rationis, ut omnia conſtent,

Publica res, urbes, munera, regna, domus.

Fundat, & iſta ſuis uicibus Deus omnia ſeruat,

Legibus, ordinibus, moribus, officijs.

Canticum graduum Salomonis.

Propoſitio q̄  
amplificat anti-  
theſi. Bñdictio  
ne Dñi ſunt o-  
mnia, non labo-  
re aut conatu  
noſtro.

**N**I Deus ædificet, fruſtra domus illa paratur,  
Quam uolet humanus conſtituiſſe labor.

Ni



Ni Deus inuigilet frustra custode tuentur,  
 Qui seruant uigiles mœnia celsa uiri.  
 Ante reuersurum nil prodest surgere lucem,  
 Integras noctes nil uigilare iuuat.  
 Anxius es, metuisq; famem, nimumq; laboras,  
 Falleris, est soli cura tradenda Deo.  
 Cui uolet ille dabit, ueluti per somnia, quicquid  
 Humana ratio carnis habebit opus.  
 Illius est munus numerosæ gratia prolis,  
 Nonne uides, fructus, hoc decus ille dedit.  
 Ut feriant rapida, quod iusserit ipse, sagittæ,  
 Qui ualida surgit fortis in arma manu:  
 Sic hominum fertur, quo iusserit ipse, iuuentus,  
 Qui regit arbitrio cuncta creata suo.  
 Talibus ô felix cui plena pharetra sagittis,  
 Hic facile infidi conteret hostis opes.

Probat exemplo, reliqua omnia sic sunt benedictionis, sicut procreatio sobolis.

Epiphonema, comparat autem heroicis uiros in rebus publicis sagittæ, cuius impetus non potest cohiberi.

## PSALMVS CXXVIII.

Beati omnes qui timent Dominum.

## ARGUMENTVM.

Sicut prior Psalmus docuit Dei benedictione omnia simpliciter fortunari, non nostro labore aut cura, ita hic Psalmus docet, ubi sit illa benedictio, nempe apud pios qui timent Dominum.

Coniugium statuente Deo sanctumq; piumq;  
 Est opus, et nullo res prohibenda modo.  
 Hoc quicumq; negat Domini blasphematur honorem,  
 O Monachi uentres, olita membra tribus.

T 2

Cate



Canticum graduum.

Propositio. **Q**uem peccare Dei uetuit timor, ille beatus,  
Illius ut rectas nouerit ire uias.

Ratio, Deus alet. **Felix** quem manuum nutrit labor, omnia cedent  
Quisquis es, ex uotis accumulata tibi.  
Larga tibi plenum diffundet copia cornu,  
Gratia uerarum nulla deerit opum.

Benedicet con iugio, utitur autem suauib. & significantibus figuris. **Aemula** certabit grauibus tua uitibus uxor,  
Quæ repserit domus per latus omne tuæ.  
Quam multus placidæ succrescit palmes oliuæ,  
Tu quoq; tam multa prole beatus eris.  
Gaudebis propriæ spectans conuiuia mensæ,  
Delicias mensæ pignora cara tuæ.

Ἐπιφώνημα **Hæc** bona prouenient Domino peccare timenti,  
Has tam præclaras semper habebit opes.  
Hunc Deus aspiciet supera placatus ab arce,  
Quamq; diu poterit uiuere, lætus erit.

Faciens misericordiam in milia, his qui me diligunt. **Natorum** et longo numerabit ab ordine natos,  
Pacatamq; bona pace habitabit humum.

## PSALMVS CXXIX.

Sæpe expugnauerunt me à iu-  
uentute mea.

## ARGUMENTVM.

Est oratio & gratiarum actio, in qua prædicat populus Dei beneficia diuina, quod Ecclesia etsi affligatur, tamen non pereat, sed defendatur a Deo ac seruetur.

Cladiv



Cladibus afflictum genus Israël acerbis,  
 Sæpe iacens hostes corruit ante suos.  
 Liber ab his, ut sæpe, Deo pro munere grates,  
 Gratifico populus carnine gratus agit.

Canticum graduum.

**I**nsultus & probra tuli iam sæpe malorum,  
 Ex quo prima mihi uisa iuuenta fuit.  
 Dixit Israël merito, iam sæpe maligni  
 In festi nunquam præualuere mihi.  
 Tot mihi pondera iniqua, tot imposuere labores,  
 Tot mea presserunt terga grauata iugis.  
 Ut uelut agricolas sulcos duxisse putarem,  
 Per mea iam grauibus corpora fessa malis.  
 At qui iusta facit Deus omnibus ille malorum  
 Discidit irata uincula cuncta manu.  
 Retro ignominiosi abeant, pudor opprimat omnes  
 Quis odio uisa est digna fuisse Sion.  
 Snt fæno similes nato per tecta domorum,  
 Quod cito messuras aruit ante manus.  
 De cuius nec fasce manum qui demetit, implet,  
 Nec gremium curua falce resecta legens.  
 Huic, qui prætereunt, nunquam benedicere messi,  
 Tale quid ex animo nec potuere loqui.  
 Gratia uobiscum Domini, uos ipse, precamur,  
 Augeat assueta dexteritate Deus.

Narratio, affli-  
 cti sumus, sed  
 non perimus.

Amplificat si-  
 militudine af-  
 flictionem.

Imprecatio cõ-  
 tra hostes Ec-  
 clesie.

Insignis figu-  
 ra, qua descri-  
 bit subitã com-  
 mutationẽ for-  
 tunæ impiorũ.

PSALMVS CXXX.

De profundis clamaui ad te Dom.

ARGUMENTVM.

T 3

Preca



Precatio est mentis territæ cogitatione peccatorum, & sentientis Deum irasci peccatis. Præcipuum autem est quod peccatis suis nihil opponit, quam misericordiã Dei, & petit gratis sibi ignosci.

Ante Deum non iustificat opera omnia quæquam,  
Sola sed in Christum mens pia, recta fides.  
Quàm canit hic breuibus tam magna negocia uerbis?  
Doctorem cælo dixeris esse datum.

Canticum graduum.

**C**um nimis alta premat caput hoc sentina malorū  
A te summe Deūm uox mea querit opem.  
Respice & exaudi nostras placida aure querelas,  
Pondus & has lacrimas uocis habere sine.  
Si pater obserues quæ nos mala cunq; patramus,  
Et iudex scelerum serius esse uoles:  
Quis rogo consistet? quis te sub iudice stabit?  
Quis poterit uerbis reddere uerba tuis?  
Sed te summa penes pietas, clementia summa est,  
Quæ ratio nobis ut timeare facit.  
Expectat Dominum mea mens, anima ægra requirit,  
Ipsius in uerbo spes mihi tota manet.  
Tota animæ uis in Domino mea fixa residit,  
Altera in alterius dum subit hora locum.  
Tota sit in Dominum spes Israël ab ipso  
Et pietas est, & nostra redempta salus.  
Ipse Israël redimet placatus ab omni  
Crimine, commissum diluet ipse scelus.

Psalmus

Propositio pa  
thetica.

Ratio prima,  
quia sum pec-  
cator corā te.

Ratio secunda  
quia es miseri-  
cors.  
Repetitiones  
propositionis.

Promissio, qd  
peccata gratis  
remittantur.



## PSALMVS CXXXI.

Domine non est exaltatum cor  
meum.

## ARGVMENTVM.

Proponit suum exemplum, & hortatur,  
ut nitamur & acquiescamus in uerbo, non  
in fiducia nostrarum uirium, & sapientiæ, ac  
iustitiæ humanæ.

Iustitiæ propriæ, atque operum fiducia uana est,

Ni sit iustificans talia cuncta fides.

Corripite elatos animo, qui uiribus usi

Posse suis fieri quæ uoluerunt putant.

Canticum graduum Dauid.

**S**umme parens rerum qui stelliferi ardua cæli  
Incolis, & solo numine templa moues.

Non fuit ulla unquam mihi uana superbia cordi,

Non ego, ceu fastu, lumina celsa tuli.

Non ego me ingessi rebus maioribus unquam,

Quæ captum possent exuperare meum.

Hanc animam posui, uelut à nutrice remotum

Infantem, ualeat qui sine lacte nihil.

Expetat Israël Dominum quia pendet ab illo,

Totus in æternos, & sine fine, dies.

## PSALMVS CXXXII.

Memento Domine Dauid, & om.

## ARGVMENTVM.

T 4

E 5

Narratio.

Hoc est, sum-  
contentus uer-  
bo tuo, & per  
uerbū alias co-  
gitationes ex-  
curio.

Adhortatio  
ut idem faciat  
tota Ecclesia.



Est oratio pro Ecclesia & regno, ut Deus utrunq; conseruare uelit. Addit autem in fine promissionem, quod Deus iuramento confirmauerit se regnum Dauidis conseruatum, & affuturum Ecclesiae in Zion.

*Vt sacra conseruet, regni ut moderetur habens,  
Aut populi, aut regis subdita uerba rogant.  
Hoc est, ut uerbum, leges, iura, oia, pacem  
Afferat, assertis his, bene cuncta manent.*

Canticum graduum.

Propositio.

**R**ex hominū diuinūq; parens, memor esse memēto  
Dauidis solida dexteritate tui.

Amplificat pre-  
cationem com-  
memoratione  
studij & uolun-  
tatis Dauid.

Dauidis memor esto tui, quos ille labores  
Pro fidei tulerit relligione tuæ.

Qualibus ille Deo uerbis iurauerit, & quæ  
Vouerit heroi dux Iacobe tuo.

Non, ait, ingrediar consueti limina tecti,  
Non lecti ascendam plumea strata mei:

Non capiam dulcis suauissima munera somni,  
Nullus decipiet lumina fessa sopor.

Donec adnueniam Domino loca digna colendo,  
Et sedem forti magne Iacobe tuo.

\* Ecce audiuimus hanc Ephratæi in finibus agri  
Siluosi inuenta est in regione loci.

\* Sententia est, hoc quod orauit Dauid, nempe domum  
Domino, eam habemus in Ephrata, id est, in regno Iuda,  
in quo Ephrata, hoc est, Dauid de Ephrata regnat. Item  
inuenta est in siluoso loco, hoc est, in Hierusafem, quæ ex  
saltu Libani constructa est, sunt enim metonymiæ.

IPſius



Ipsius ergo sacræ ueniamus in atria sedis,  
 Numen adorantes ipsius ante pedes.  
 Surge locum requietis adi tibi summe paratæ,  
 Tu Deus, & felix roboris arca tui.  
 Iusticia sint ornatu tua sacra ferentes,  
 Deq; tuo sanctus nomine cætus ouet.  
 Propter Dauidem tibi ab omni parte fidelem,  
 Vinctum propicia respice fronte tuum.  
 Dauidi Dominus iurauit uoce fideli,  
 Nec sua iuratus fallere uerba potest.  
 Te uiuente tui de fructu & semine uentris  
 Imponam solio pignora iusta tuo.  
 Quod si nostra tui seruabunt pacta nepotes,  
 Qui de Gente tuæ posteritatis erunt:  
 Si mea non cessent oracula sancta fateri,  
 Quæq; dedi legum nomine, quæq; dabo.  
 Tam simul ipsi etiam quàm qui nascentur ab ipsis,  
 Gestabunt dextræ regia sceptrata tuæ.  
 Nam Deus elegit sacræ loca culta Sionis,  
 Et cupit hac sedem figere in arce sibi.  
 Hic requiem mihi constitui sine fine futuram  
 Quam colerem, placuit nec magis ulla domus.  
 Hic mihi dote locus ditabitur ubere rerum,  
 Hic uelut annonæ diuitis unda fluet.  
 Hic ego, si qua fames miseros urgebit egentes,  
 Sufficiam dextra liberiore cibos.  
 Iusticia faciam claros, hic sacra ferentes  
 Læticiæ, hic sanctis copia diues erit.  
 Illic imperium faciam Dauidis oriri  
 Latius, & Gentes subdere colla mihi.

T 5

Hic

Hic clare ponit propositio-  
nem pro Eccle-  
sia.

Pro regno.

Promissio fa-  
cta Dauidi de  
regno.

Promissio de  
cultu Dei, seu  
Ecclesia.



Hic uncto reparata meo mihi uiua lucerna est,  
 Indiga quæ nullo tempore lucis erit.  
 Ipsius ofores infania turpis obibit,  
 Ipse coronatus floride sceptrageret.

## PSALMVS CXXXIII.

Ecce quàm bonum & quàm iucun.

## ARGVMENTVM.

Est commendatio concordia in Ecclesia & regno, ornat autem eam comparationibus suauissimis cum unguento late spargente odorem, & diffundenti se comparat, & rori coelesti, quo recreantur agri & prata diurnis solibus perusta.

Vt facit ex paruis magnas concordia rebus,  
 Sic nisi doctrinas asserat ipsa, cadent:  
 Hanc docet et sacris seruandam & ubiq; prophanis,  
 Et probat exemplis qualibus ipse uidet.

Canticum graduum.

Propositio.

\*  
 Similitudines  
 sunt ceu ratio  
 nes propositio  
 nis, quia ostendunt  
 suauitatem & utilitatem  
 concordia  
 maxime in Ecclesia.

**Q**uæ ligat unanimes felix concordia fratres,  
 O quales fructus utilitatis habet.  
 Consona fraterno si uita sit omni amanti,  
 Qui uere dubitet, dicere pacis opus?  
 Tam sanctam sequitur pacem iucunda uoluptas,  
 Quàm pius æthereo nectare pascit amor.  
 \* Non secus ac liquidos stillantia balsama succos,  
 In sacra pontificum tempora fusa fluunt.

Inde



Inde sub extremis ita deflua uestibus hærent,  
 Dulcis ut in toto corpore spiraret odor.  
 Sicut et ærius Libani de montibus humor  
 Vbere sæcundam rore Siona facit.  
 Talis ubi est interq; manet concordia fratres,  
 Ipse bonum præsens influit omne Deus.  
 Nam uitam tribuit meritis cælestibus auctam,  
 Illa est diuitijs non redimenda quies.

Hic sine figura  
 dicit, quod su-  
 pra figurate dixit.

## PSALMVS CXXXIII.

## Et nunc benedicite Domino.

## ARGUMENTVM.

Hortatur ministros Ecclesiæ, ut diligenter uerbum Dei prædicent, hoc enim uere est laudare Deum, & ut assiduo orent pro Ecclesia. Ac addit insigne uotum, ut Dominus facientibus sic suum officium in Ecclesia benedicat.

Summa breuis parui doctrina grauisima Psalmi,  
 Qui deceant cultus, quæ sacra uera Deum.  
 Scilicet in uerbo inuigilent quicumq; ministri,  
 Ut uerbum doceant, tam graue munus habent.

Canticum graduum.

**E**t nunc Dominum cætu celebrate frequenti,  
 Qui serua colitis relligione Deum.  
 Qui statis totas sancta intra limina noctes,  
 Intra diuinæ limina sancta domus.

Docete.

Tollite



*Orate.* Tollite ad alta manus uestras sacraria, & ipsi,  
 Quas decet eximia dicite laude preces.  
 Sit Deus excelsa tibi fautor ab arce Sionis,  
 Qui mare, qui cælos finxit & omne solum.

## PSALMVS CXXXV.

Laudate nomen Domini, laudate.

## ARGVMENTVM.

Est fere idem argumentum cum superio-  
 ore, nisi quod hic causas addit, cur prædi-  
 candus & laudandus sit Dominus: comme-  
 morat enim non solum publica miracula,  
 sed priuata, & huius populi propria, quod  
 regnum & cultum suum habeat in Iacob,  
 quod populū liberauerit in Ægypto, quod  
 dederit terram Canaan &c.

*Edita gestarum memorat miracula rerum,  
 Rebus ut admoneat talibus esse Deum.  
 Esse Deum quem laude uebat cui debita soli  
 Sacra ferant, ne Dijs condita signa colant.*

Halleluia.

*Propositio ex  
 hortationis.*

**D**icite laudantes per sæcula cuncta manentem,  
 Deuoti famula conditione Deo.  
 Intima diuini qui statis ad intima Templi,  
 Qui nostri incolitis tecta beata Dei.

*Ratio propo-  
 tionis.*

Dicite laudantes Dominum quia mitis & æquus,  
 Optatam miseris ferre benignus opem.

*Ipsius*



Ipsius æterno sacrum date nomen honori,  
Cuius nulla decus nomina maius habent.

Nam Deus æternos Iacobum elegit in annos,  
Et decus Israël censuit esse suum.

Magnus enim Dominus uere est & dignus haberi,  
Idem alius omnes fortior ante Deos.

Creationis be-  
nefium.

Quod Domino cunq; est libitum facit, aurea supra  
Sidera, per terras, per freta longa maris.

Ille abstrusa potens exercet in omnia regnum,  
Quantumuis etiam terra profunda tegat.

Qui gelidum pluias subducit in aëra nubes,  
Protinus extremi de regione soli.

Fulgura terribiles facit ignea ducere rimas,  
Et mox qui pluias inde resoluit aquas.

Qui rapidos cæcis uentos producit ab antris,  
Et quæcunq; uolet per loca flare facit.

Qui primogenita Aegypti percussit aquosæ,  
Omnia tam pecorum quàm genus omne uirum.

Propria huius  
populi benefi-  
cia.  
Aegyptus.

Qui signa & portenta tibi ô Aegyptia tellus  
Edidit, an uelles cautior esse tui.

Nec soli tibi, uerum etiam tua sceptrâ gerenti,  
Et quæcunq; fuit sub Pharaone manus.

Terra Canaan

Qui magnas ualido deleuit robore Gentes,  
Fortia magnorum contudit arma ducum.

Bellica Amoritæ qui perdidit agmina regis,  
Et quæcunq; sub hoc turba Sihone fuit.

Marte Basanitem proprio qui perculit Oggum,  
Et reges Canaan quos fera cunq; tulit.

Inde alijs tribuit terram quam cepit habendam,  
Regna Israëlî cuncta subacta suo.

Summe



Ἐπιφώνημα. Summe Deum tua fama manet, tua gloria uiuit,  
Gloria in æternos non peritura dies.

Dominus dat Ipse suum populum Dominus reget, ipse suorum  
ꝑ̄bum & remit Non omni in pœnas tempore durus erit.  
rit peccata.

ΑΥΤΙΘΕΟΙΣ, Quæ Gentes idola colunt ex quolibet ære,  
Tales non sunt Pro dijs humanæ composuere manus.  
gentium Dij.

Ora quidem sed muta gerunt, stant lumine cæco,  
Nec sensus stupidis auribus ullus inest.

Plumbea non aliquis mouet organa spiritus oris,  
Saxeâ sub ficta guttura fauce stupent.

Talia qui faciunt factis simulantur iisdem,  
Quiq; putant factis numen inesse suis.

Repetit exhor Vos domus Israël Domino date munera laudum,  
rationem. Vos & Aaronicæ concio sacra tribus.

Tu quoq; de sancto quæ ducis nomina Leui,  
Gens pia ser Domino debita dona tuo.

Qui Dominum colitis Dominū celebrate, nec unquâ,  
Vestra Dei merita carmina laude uacent.

Excelsa Dominus laudetur ab arce Sionis,  
Qui sedet & Solyma legit in urbe locum.

## PSALMVS CXXXVI.

Confitemini Domino quoniam.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio eodem argumentò  
cum superiori Psalmo, commemorat enim  
beneficia creationis, & quæ populo Israel  
peculiariter exhibuit, ac hortatur ad gratia-  
rum actionem.

Hic



Hic precor aspicias magni pia scripta Lutheri,  
 Et lege quæ breuitas dicere nostra nequit.  
 Hic tamen hæc summa est, Dñm celebrare potentem,  
 Tempore qui nullo desinet esse pius.

**S**umma quib. Domini bonitas est cognita, grates

Propositio. |

Eia agite immensa pro bonitate Deo.  
 Nam pius est, laudate pium, celebrate benignum,  
 Ipsius quoniam gratia sine caret.

Ratio genera-  
 lis.

Voce animoq; Deum grati celebrate Deorum,  
 Tempore enim nullo desinet esse pius.

Perpetuas Domino dominanti dicite grates,  
 Pectora semper enim plena fauoris habet.

Qui toties, tot tanta facit miracula solus,  
 Namq; quod est, nunquam non bonus esse potest.

Narratio ope-  
 rum & benefi-  
 ciorum Dei.

Cuius cælestes sapientia condidit orbes,  
 Nam manet, & pietas non habet ista modum.

Qui liquida extendit grauidam super æquora terrã,  
 Nam ueniæ finem non habet ille suæ.

Lumina qui toti statuit clarissima mundo,  
 Huius enim pietas ista perire nequit.

Solem noctifugæ iussit lucere diei,  
 Nam bonus est, & erit tempore perpetuo.

Stellas & lunam moderari tempora noctis,  
 Nam pia non unquam desinet ista fides.

Primitias Aegyp̄te tuas qui sustulit olim,  
 Nam pius & placido pectore semper erit.

Quiq; Israëlẽ deduxit ab hostibus ipsum,  
 Nam manet & finem non habet huius amor.

Inuictæ uirtute manus, & robore fortis,  
 Huius enim miserans gratia semper erit.

Qui



Qui uasti in geminas secuit maris æquora partes,  
 Nam pius & clemens perpetuo est, & erit.  
 Inde Israëllem dissecta per æquora duxit,  
 Nam manet huic summa cum bonitate fides.  
 Armatum rapido qui mersit in æquore regem,  
 Nam bonus est, & ut est, sic malus esse nequit.  
 Qui populum per uasta suum deduxit eremi,  
 Nam fauet & iustis semper amicus erit.  
 Qui statuit ualidos dextra uictrix tyrannos,  
 Huius enim pietas tempus in omne manet.  
 Cuius præcipuos occidit dextera reges,  
 Nam miseris omni tempore dexter erit.  
 Strauit Amorræum propria uirtute Sibona,  
 Omni nam placidum tempore numen habet.  
 Marte Basanitem qui uindice contudit Oggum,  
 Nunquam etenim cessat fautor adesse suis.  
 Inde suis captæ diuisit iugera terræ,  
 Nam placidus nunquam desinit esse bonis.  
 Regna Israëllem tribuit quæ cepit amato,  
 Semper enim causas dexteritatis habet.  
 Cladibus obtritos, ope nos respexit egentes,  
 Semper enim certam fert miserator opem.  
 Nos quoq; crudeli miseratus ab hoste redemit,  
 Semper enim miseris fautor adesse solet.  
 Omnia qui immensa bonitate animalia pascit,  
 Semper enim bonus est, semper & esse studet.  
 Concelebrate Deum cæli terræq; potentem,  
 Nam pius est, & ut est, sic sine fine manet.



## PSALMVS CXXXVII.

Super flumina Babylonis illic sedim.

## ARGUMENTVM.

Prior pars Psalmi querimonia est de captiuitate Babylonica, & superbis Gentium insultationibus. Altera pars consolationem habet, futurum ut captiuitas finiatut, & hostes populi Israel satis graues poenas luant.

Captiua ex Babylone Sion has mæsta querelas  
Effundens, humili uoce precatur opem.  
Est operæ precium cura seruare fideli,  
Per loca quæ spargi dogmata sancta queant.

**C**um gelidos, miseri, consedissemus ad amnes,  
Fructiferæ regio quos Babylonis habet:  
Fleuimus, & planctu conturbabamur amaro,  
In mentem quoties uenit amata Sion.  
Musica tum salicum suspendimus organa truncis,  
Fluminis in ripa quas alit humor aquæ.  
Illic qui captos nos dura sorte premebant,  
Poscebant nostræ carmina festa lyræ.  
Et nostros inter genitus sibi læta iubebant,  
Et nobis patrio carmina more cani.  
Carmina dicebant, cantate Sionis auitæ,  
Qualia uos in ea concinuisse serunt.  
At nos qui lætos alienis finibus hymnos  
Possumus, aut sacrum concinuisse melos?

V

Si

Querela.

Nullus cultus  
Dei fuit inter  
Gentes.



- Consolatio.** Si potero non esse tui memor incluta nuper,  
Hierusalem, si te non ego semper amem:  
Tunc artem mea dextra suam dediscat, ut ultra  
Non cantem soli carmina sacra Deo.  
Intus adhærescat stupido mea lingua palato,  
Si potero uiuens immemor esse tui.  
Si tibi prætulero quicquam quod amabile ducam,  
Si mihi te quicquam dulcius esse potest.
- Promissioni orationem subiungit.** Sis memor ô genitor periuræ nuper Idumes,  
Quàm malè de populo sit merita illa tuo.  
Nam patria miseri cum uastaremur in urbe,  
Scuior iratis hostibus illa fuit.  
Sternite, dicebant, excindite funditus omnem  
Urbem, relliquiæ ne superesse queant.
- Comminatio.** Tu quoq; magna manu Babylon uastabere forti,  
Et mala nostra aliquis qui tibi reddat erit.  
Felix qui tibi damna alijs illata rependet,  
Præcipue nobis quæ modo damna dabas.  
Felix qui puerosq; tuos tenerasq; puellas  
Conteret, & sparget sanguine saxa tuo.

## PSALMVS CXXXVIII.

Confitebor tibi Domine in toto.

## ARGUMENTVM.

Est gratiarum actio pro Euangelio & re-  
gno Christi respicientis suam Ecclesiam in  
terris & liberantis.

Optat ut adueniat Christi super omnia regnum,  
Sub quo multa etiam regna futura canit.

Terra



Terrarum reges huic regi uota duros,  
Huius adorabunt numina sancta Dei.

Dauidis.

**O**mnipotens qui regna tenes latissima rerum,  
Qui premis immensa cuncta creata manu.

Propositio gra-  
tiae actionis.

Pectore te toto Dominumq; Deumq; fatebor,

Et coram summis inter & eximios.

Ad tua me uertam templa atq; altaria supplex,

Et tua non tacita nomina laude feram.

In me quod fueris summa pietate benignus,

Quod fidei tam sint robora firma tuae.

Namq; tuum nomen super omnia summa tulisti,

Per quae olim nobis uerba locutus eras.

Quo te cumq; die supplex in uota uocaui,

Audisti fletus anxia uerba mei.

Et simul huic animo robur uiresq; dedisti,

Qui prope iam maesto pectore nullus erat.

Nunc igitur cuncti celebrant tua nomina reges,

Vicina & longe qui sita regna colunt.

Quod tua uerba audis hauserunt auribus, & sunt

Præcipuo pleni laudis honore tuae.

Hi Domini decreta canent, ut maior in omnes

Hic Domini populos expediatur honor.

Nam Dominus cum sit sublimis, humillima spectat,

Spectat & à longe corda superba notat.

Si medium per iter mihi perditionis eundum,

Si sit & appositæ meta terenda necis.

Tu tamen incolumem me conseruabis, & idem

Terrorem incuties hostibus ipse meis.

Ratio quia ha-  
bes nomen &  
regnum eximi-  
um quod igno-  
scis peccatori-  
bus, exaudis o-  
rantes, & de-  
fendis &c.

Regnum hoc  
etiam in gentes  
uulgatum est.

Insignis com-  
mendatio reg-  
ni Christi, quod  
uitur sua po-  
tentia ad regen-  
dos bonos.

V 2

Hosti



Hostibus excutiet ceptum tua dextra furorem,  
Et sic illa mea caussa salutis erit.

Expediet pro me Deus omnia, maxime diuim,  
Perpetua est bonitas & tua summa fides.

Addit precati Nunc quod opus finxere tuæ pater optime palmae  
unculam. Ne rogo contentum deseruisse uelis.

## PSALMVS CXXXIX.

Domine probasti me & cognouisti,  
ARGVMENTVM.

Prior pars habet gratiarum actionem  
pro creatione & mirabili gubernatione san-  
ctorum, quæ tota in manibus Dei, extra ui-  
res, cogitationes & consilia humana est. Al-  
tera habet orationem, ut hostes uerbi pere-  
ant, qui fiducia suarum uirium omnia au-  
dent, & ut ipse in uerbo Dei conseruetur.

Quam sint magna, Dei bonitas, sapientia, uirtus,  
Qui quæ sunt, & erunt, quæq; futura, uidet.  
Qui facit & præsens agit omnia, quo sine nullum  
Momentum exigui temporis esse potest.

Psalms David.

Descriptio mi-  
rabilis guber-  
nationis & cre-  
ationis.

**C**onditor omnipotens, omnis Deus arbiter ani,  
Cui neq; ut ortus erat, sic neq; finis erit.  
Explorata tenens mea iam pater omnia dudum,  
Et pars te potuit nulla latere mei.  
Tu nosti quid consideam, quid surgere pergam,  
Sensa à longe animi sunt tibi nota mei.

Seu



Seu me forte dies aliquo prospectat euntem,  
 Seu cubitum fessæ tempora noctis agunt:  
 Tu mihi tu præsens ades & circum omnia lustras,  
 Quâ pergam ignota est semita nulla tibi.  
 Nam neq; lingua potest quicquam mea dicere, cuius  
 Iam non sit ratio cognita tota tibi.  
 Tu frontem, tu terga in me, tu cuncta creasti,  
 Quæq; fieri prius quæq; futura manent.  
 Atq; ita me diuina manus tua finxit, ut esset  
 Plenum opus, & pulcrum corporis omne mei.  
 Cognitionis opus tantæ non assequor illud,  
 Tam ratio sensus effugit alta meos.  
 Quo fugiam ne præsentem tua numina cernant?  
 Qua tuus excludi spiritus arte potest?  
 Detur ut astra supra scandam sublimia cœli,  
 En ades, & nullo non potes esse loco.  
 Infernas adeam, Plutonia regna, lacunas,  
 Hic quoq; maiestas aspicienda tua est.  
 Mane rubens aurora suas mihi commodet alas,  
 Dentur in extremo te cta colenda mari.  
 Non minus hæc tua celsa manus me perfret illuc,  
 Et uirtus dextræ fulciet alta tuæ.  
 Dixero, forte tegent tenebræ me noctis opacæ,  
 Lucida nox etiam te penes omnis erit.  
 Et tenebræ non sunt tenebræ si tu pater asis,  
 Et nox clara nouæ lumina lucis habet.  
 Te penes in lucem tenebræ uertentur, & omnia  
 Nocte sub obscura te prope splendor erit.  
 Nam lumbos renesq; meos tu matris in aluo  
 Corporis effingis cætera membra mei.

Obserua quomodo omnia tribuat arbitrio Dei, & adimat suo arbitrio.

Quod nemo possit Dei consilium effugere



Gratiarum actio

Gratia summe tibi genitor, qui corporis artus  
 Omnes mirifica feceris arte mei.  
 Et tua sunt perfecta modis opera omnia miris,  
 Quæ perspecta meæ lumina mentis habent.  
 Te mea non latuit uirtus cum fingerer intus,  
 Et rudis exiguo pondere massa forem.  
 Abdita cum fierem uelut intra uiscera terra,  
 Et nondum ex utero matris abactus eram.  
 Tu foetum informem clara me in luce uidebas,  
 Et quæcunq; mihi membra futura forent.  
 Tunc uelut in libro descripta futura tenebas  
 Tempora, nec dum horum uenerat ulla dies.  
 Quam præclara Deus tua consilia omnia nobis,  
 Quanta est illorum cognita summa mihi.  
 Illa ego si numero certo comprehendere coner,  
 Omnis inexhausti cedit arena maris.  
 Peruigil ut demum referendis immorer illis,  
 A te semotus non erit iste labor.

Precatio contra hostes non obseruantes hanc Dei benignitatē, & persequentes uerbum.

O utinam reprobos perdas Deus, ò procul absint  
 Turba profanatas sanguine fœda manus.  
 Nam peruersa palàm de te & scelerata loquuntur,  
 Et crescunt hostes, in tua damna, tui.  
 Qui te odere pater dignos odio esse putauit,  
 Digni & quos odio prosequeremur, erant.  
 Qui sua te contra statuerunt signa rebelles,  
 Semper in hos animo non patiente fui.  
 Nec potui maiore odio quàm prosequor illos,  
 Hac hostes facti sunt ratione mihi.  
 \*Explora, cognosce meos pater unice sensus,  
 Perscrutare animi cuncta profunda mei.

\*Orat pro se, ut sicut omnia ex Deo habet, ita in omnibus uoluntati eius obsequatur.



Ut uideas si forte uia non rectus aberrem,  
Et reuoces lapsos in loca recta pedes.

## PSALMVS CXL.

Eripe me Domine ab homine mal.

## ARGUMENTVM.

Est precatio contra hostes Ecclesiæ, qui non solum eo nocent quod uarie impediunt sanam doctrinam, sed etiam ui & gladio sæ uiunt: quare precatur ut pñ seruentur, impij autem suis consilijs sibi ipsis sint exitio. Sicut etiam plerunq̄ euenit, Dominus enim iudex est in terra.

Impius insidias tendit pietatis amanti,  
Quamq̄ potest, tuta non finit ire uia.  
Huius ut impediatur conatus ipse nefandos  
Orat, & impunem non sinat esse Deus.

Vincenti Psalmus Dauid.

**N**e pater omnipotens hominē mihi dira uolentem Propositio.

Ne sine consilij mole ualere sui.

Eripe ab insidijs mihi noxia multa minati,

Discute qui mecum tam uiolenter agunt.

Qui semper mala mente agitant & pectore uoluunt, Narratio persequi.

Et quos pacificos non uidet ulla dies.

Hi linguas acuere suas, ut uipera serpens,

Somnifera uirus aspide peius habent.

Assereme ne forte manus trahat impia raptum,

Horum qui mecum tam uiolenter agunt.

V 4

Qui



Qui mea seruantes uestigia soluere tentant,  
Et pedibus ponunt uincla parata meis.  
Continuo expandant mihi retia cæca superbi,  
Perq; meas, laqueos occulere, uias.

Repetit propo-  
sitionem.

Interea ipse meum Dominumq; Deumq; uocabam,  
Sume pater querula languida uerba precis.  
O Deus, ò spes una mea roburq; salutis,  
Ipse meum, si uis ingruat, abde caput.  
Ne sine uota ferat sua quæ uolet impius, & nec  
Successum rebus sentiat esse suis.

Imprecatio cõ-  
tra hostes. Pe-  
reant sicut Pha-  
rao ad mare ru-  
brum.

Ne sua consilijs bona sint euenta malorum,  
Et ne se dignos talibus esse putent.  
In capita ipsorum recidant, quæ friuola iactant,  
Qui mea non æqua nomina sorte premunt.  
Ardentes Dominus prunas dispergat in ipsos,  
Vindice mendaces obruat igne uiros.  
In foueas turbabit agens tristesq; lacunas,  
E quibus haud unquam surgere ad alta queant.  
Cui fuerit petulans & lingua loquacior æquo,  
Huic Deus in uita commoda nulla dabit.

Insignes conso-  
lationes.

Certus sum quoniam Dominus seruabit egenos,  
Exulibusq; suo tempore fautor erit.  
Quin etiam tua cantabunt præconia iusti,  
Quæ credant nomen posse decere tuum.  
Quotquot erunt, & iusti animos, & pectora recti  
Astabunt uultus perpetuo ante tuos.

## PSALMVS CXLI.

Domine clamaui ad te exaudi me.

Argu



## ARGUMENTUM.

Est necessaria precatio, in qua duo orat :  
Primum, ut in sana doctrina & sancta uita  
conseruetur : Deinde quia crux pios sequi-  
tur, orat liberationem. Sic ubiq; proponitur  
Ecclesia quod sit afflicta, & uarie misera in  
mundo.

Qui pacem simulant & mollia uerba loquuntur,  
Et sub corde dolos insidiant gerunt.  
Hos petit ulcisci, petit ut deceptus in ipsis  
Quæ reliquis posuit retribus intereat.

Psalmus David.

**R**Ebus in afflictis genitor te summe uocantem  
Respice, & auxilio non remorante iuuua.  
Quæso meis placidas aures aduerte querelis,  
Quando audis aliquam uerba rogantis opem.  
Ascendant ad te mea uerba rogantia, sicut  
Accenso nubes fumea thure solet.  
Et si quando manus ad te leuo, sit tibi tanquam  
Quod deferre sacrum serior hora solet.  
Adde meam genitor cobibentia uincula linguam,  
Oris permaneat ianua clausa mei.  
Ne patiari mihi res ut sit noxia cordi,  
Concilia in præceps ne per iniqua ferar.  
Ne mala participem turbæ per facta malorum,  
Fecunda nec ipsorum delitiosa sequar.  
Percutiat me iustus, erit gratissima plaga,  
Arguat, hoc oleo dulcius unguen erit.

Propositio ut  
exaudiatur.

Insignis figura  
qd oratio pijs  
sit sacrificium,  
sicut propheta  
uocat Bouem  
labiorum ora-  
tionem.

Hic exponit in  
qua re uelit ex  
audiri.



Suauiſſima cō  
mendatio ſancti  
doctrinae.

*Ἐπιθεσις.*  
Pererit impia  
doctrina, ut lit  
locus ſancti doc  
trinae.

Commemorat  
afflictiones,  
quas Eccleſia  
propter uerbum  
ſuſtinet et orat  
liberationem.

Namq; meo capiti nunquam liquor ille nocebit,  
Ipſe malos contra nempe precabor opem.

Illorum offendant ad ſcrupera facta magiſtri,  
Præſecti in lentam præcipitentur humum.

Vt mea ſuſtineant audire et uerba fateri,  
Suauia quod multis ſint et amica modis.

Sicut humus grauido proſciſſa reſidit aratro,  
Sicut ſecta graui uomere gleba iacet.

Sic noſtra aſſiduis ſunt fracta doloribus oſſa,  
Sic apud inferni limina ſparſa iacent.

Quandoquidem te ſolum animo uigilante uidemus,  
Te niſi nil aliud lumina noſtra uident.

Et quia præſidium, niſi te, non inuenit ullum,  
Ne patiſſe animam poſſe perire meam.

Serua me à laqueo mihi quem poſuere maligni,  
Ut uitem reproba retia tenſa manu.

Votum contra  
impios.

Incidat in laqueos quos condidit impius iſtos,  
Donec ſaluus ego præteriſſe queam.

## P S A L M V S C X L I I.

Voce mea ad Dominum clamaui.

## A R G V M E N T V M.

Argumentum Pſalmi oſtendit titulus, re  
ſte autem oratur Pſalmus pro Eccleſia, contra  
tra hoſtes & perſecutores eius.

Perfidia queritur prohiberi falſa docentum,  
Quo minus ipſe alios uera docere queat:  
Cum iam plus nimio pro ueris falſa ualere,  
Si te exempla iuuant, tempora noſtra uide.



Erudiens canticum Dauid cum esset  
in spelunca.

**A**sfiduis Dominum lacrimis & uoce precabar,  
 Diuinam asidua uoce precabar opem.  
 Ante ipsum mea uerba grauesq; effundo dolores,  
 Ipsi quæ patior uulnera sæua queror.  
 Mens mea cum duris iacet obruta & anxia rebus,  
 Quæ sequar & fugiam mi Deus ipse uides,  
 Quæ mihi sæpe fuit pedibus uia trita, sub illa  
 Fallaces laqueos occulere mihi.  
 Hac illac oculos uertens per cuncta ferebam,  
 Nemo, qui misero uellet adesse, fuit.  
 Tam fuit optatæ spes omnis adempta salutis,  
 Nemo fuit placidam qui mihi ferret opem.  
 Tunc tua supplicibus uenerabar numina uerbis,  
 Mi Deus, ð mea spes, tu mea certa salus.  
 Tu mihi præsidium Deus es, per te mihi uitæ  
 Pars est, contingit quantulacunq; super.  
 His lacrimis precor intendas, moueare querelis,  
 Nam miser exhaustus penè dolore fui.  
 Erue ab hoste odio qui me insectatur acerbo,  
 Nam mihi nunc nimium præualuere mali.  
 Detrahe uincla animæ quib. hoc in carcere pressa est  
 Vt nomen celebret libera facta tuum.  
 Tunc mihi iustorum iungent socia agmina cætus,  
 Si mihi præstiteris quæ bona tanta rogo.

Narratio, in  
qua proponit  
exemplū quid  
in afflictione sit  
faciendum.

Narrat pericu  
lum.

Propositio, ut  
liberetur.

Specum in qua  
latuit, carce-  
rem uocat.

PSALMVS CXLIII.

Domine exaudi orationem meam.

Argua.



Est precatio pro remissione peccatorum, quæ habet suos hostes, nempe Sathanam auctorem desperationis, & doctores, qui docent legem & fiduciam operum. Quare orat exaudiri propter ueritatem & iusticiam Dei ueritas est, quod Deus promisit se exaudire uerum pios: iusticia est, quod Deus iniustos iustificat, & peccata remittit propter misericordiam in Christo exhibitam.

*Territa mens uitij & imagine uindictis iræ,  
Iudicium ne se cogat obire rogat.  
Promissis ueniæ Domini constanter adhæret,  
Solari melius mens onerata nequit.*

Psalmus David.

Propositio.

**A**udi summe parens rerum, quas pectore ab imo  
Et tibi sollicito findimus ore preces.

Fidei, quia ser-  
uas promissa,  
Exaudi me pro-  
pter tuam iu-  
sticiam, non pro-  
pter meam iu-  
sticiam, quæ nul-  
la est.

Narratio peri-  
culi, cum con-  
scientia despe-  
ratione tenta-  
tur.

In fidei uirtute tua me respice, & audi

Quæ tibi nunc mæsto pectore uerba loquor.

Et quia iusticiæ summa est tibi cura tuendæ,

Sume pia iustas exulis aure preces.

Ab ne in iudicium uenias pater optime mecum,

Ab tibi ne fieri me patiare reum.

Nam quis erit qui te consistere iudice possit?

Quis tibi perspectus iustus abire queat?

Insidiatus enim mihi perfidus imminet hostis,

Semper & hic fraudum nomina mille struit.

Abieci



Abiecit uelut in terram mea tempora uitæ,  
 In tenebras positum me uiolenter agit.  
 Non secus ac auræ uitalis lumine casti,  
 Per loca neglecti sola iacere solent.  
 Conficitur mœrore animus, mens anxia torpet,  
 Omnis in attonito pectore sensus habet.  
 Tunc ueteres repeto longinqui temporis annos,  
 Et retro in mentem sæcula prisca uoco.  
 Tunc animo repetens memori tua facta loquebar,  
 Quæ gessere manus omnia mira tuæ.  
 Protensis ad te ueneror tua nomina palmis,  
 Te mea mens isto tristis ab orbe sitit.  
 Ne cunctere, ser auxilium, spes omnis in auris  
 Te sine, pene anima deficiente, fugit.  
 Ne uultus absconde tuos, ne forte relinquare  
 His similis qui iam tartara nigra petunt.  
 Ocyus has ueniat bonitas tua nota sub aures,  
 Fidere cui possim, nam sine te nihil est.  
 Quæ gradiar præscribe uiam, mea namq; fatiscit,  
 Suspirans ad opem languida uita tuam.  
 Eripe ab insidijs quas instruit hostis acerbus  
 Mi Deus, o misero spes, uia, uita, salus.  
 Ut faciam tibi grata doce, tua iussa capeffam,  
 Nam sine te misero quis Deus esse queat?  
 Spiritus ille tuæ bonitatis ducat euntem,  
 Quæ recta ad te itur, nec propiore, uia.  
 Redde mihi incolumem propter tua nomina uitam,  
 Iustus es, huic animæ redde salutis opem.  
 Sic subuertere meos, ut es optimus, ocys hostes,  
 In festos animæ nocte dieq; meæ.

Abijce

Consolor me  
 inquit, contra  
 hæc mala uete  
 rib. tuis factis,  
 quib. testatus  
 es te esse mise  
 ricordem, &  
 peccata condo  
 nare.  
 Repetit propo  
 sitionē, in qua  
 orat remissio  
 nem peccatorū  
 & gubernatio  
 nem in uerbo  
 ac liberationē  
 ab hostibus.



Abijce & ad nihilum redigens age, perde malignos,  
Tu quia me Domini iura regentis habes.

## PSALMVS CXLIIII.

Benedictus Dominus Deus meus.

## ARGVMENTVM.

Est insignis Psalmus, in quo simul gratia agit, & orat pro regno & Ecclesia contra hostes, seditiosos ciues & Pseudoprophetas. Habet autem insigne wáðos, quod miratur Dei beneficentiam erga homines ingratos & malos. Quid est homo, inquit, quod sic curas eum &c.

Iura magistratus, reges, pax, fœdera, bellum,  
Vnius in Domini sunt sita cuncta manu.

Ille docet quicquid scimus, facit omnia solus,  
Quo sine tam fragilis quid potuisset homo?

Psalmus Dauid.

Gratias actio  
pro regno.

**S**umma creatori Domino laus, gratia, uirtus,  
Cuius habere parem gloria iure nequit.  
Dura manus in bella meas qui format & armat,  
Ad fera qui digitos instruit arma meos.  
Hic bonitas, hic summa mihi est fiducia, ab illo  
Munior, hic instar turris & arcis habet.  
Quo mihi ceu clypeo spes præsidij omnis habetur,  
Imperio populos subijcit ille meo.

Πάθ. Magna Dei bo  
nitas est, sic cu  
rantis nos mise  
ros homines,

Cur tibi sit genitor mortalis homuncio tanti,  
Hunc ut & agnoscens nonnihil esse putes?  
Vita hominis nibilo similis, fugit ocyor umbra.  
Quæ uenit & minimo tempore tota perit.

E cœli



E caelis Domine in terras descende iacentes,  
 Tange manu, fumos, culmina summa, dabunt.  
 Fulgura mitte, quibus pereant, intende sagittas,  
 Ut cito recorderes ad tua tela cadant.  
 Mitte manum de sede tuam sublimis Olympi,  
 Auxilium uindex ut ferat illa mihi.  
 Eripe me uelut immensis è fluctibus agrum,  
 De ui quam misero fert aliena manus.  
 Eripe me à populis qui nil nisi uana loquuntur,  
 Qui dextra fraudes insidiant parant.  
 Sic tibi summe opifex rerum noua carmina dicam,  
 Cantabunt laudes organa nostra tuas.  
 Organa, sed fidibus bis quinque instructa, feremus  
 Plectrum, Lyras, Citharas, Organa, Naba, Tubas.  
 Per quem dura gerunt Reges & praelia uincunt,  
 Dauidem seruas hostis ab ense tuum.  
 Eripe me seruaque uolens, aliena repelle  
 Agmina, quæ legi sunt inimica tuæ.  
 Qui cum sint homines reprobis mendacia miscent,  
 Quorum dextra dolos insidiasque struit.  
 Ut nostri incipiant nobis adulescere nati,  
 Ut tener è molli surculus exit humo.  
 Ut nostræ niteant formoso corpore natæ  
 Qualis in eximia est pulchra columna domo.  
 Ut sint nostra opibus penuaria plena repostis,  
 Copia nec cesset, nec uacet ista manus.  
 Ut grex mille ouium producat millia centum,  
 Quæ nunc nostra auido pascua dente metunt.  
 Terga bouum grauibis sint pingua & apta ferendis,  
 In nostras ueniat nulla ruina domos.

Orat ut Domi-  
 nus simili felici-  
 rate defendat  
 & seruet con-  
 tra hostes Ec-  
 clesie, hoc est,  
 Pseudoprophe-  
 tas, quos uo-  
 cat alienos fili-  
 os, quorum do-  
 ctрина et opera  
 mala sunt.

Redit ad grati-  
 arum actionem  
 pro regno, &  
 repetit oratio-  
 nem contra pseu-  
 doprophetas,  
 pro Ecclesia et  
 pro regno.

Hæc sunt poli-  
 tica & œcono-  
 mica comoda.



*In nostris uox nulla sonet truculenta plateis,  
Et possit nostris rebus abesse nihil.*

*Felicem populum qui tantis dotibus auctus,  
Se Domino curæ nouerit esse Deo.*

Hic uersus in  
Hebræo habet  
insignem colla-  
tionem, quod  
magna dona  
sint quibus De-  
us regna & fa-  
milias confer-  
uat, sed multo  
maiora esse, ha-  
bere uerbum  
Dei, & scire  
nos Deo, curæ  
esse.

## PSALMVS CXLV.

*Exaltabo te Deus meus Rex, & ben.*

## ARGUMENTVM.

Est insignis Psalmus, in quo gratias agit  
pro Regno Christi: quod sit regnum, miser-  
cordiæ & gratiæ, & æternum regnum, in  
quo lapsi eriguntur, orantes exaudiuntur,  
& periclitantes & afflicti teguntur ac guber-  
nantur: Hæc insignia & præcipua sunt bene-  
ficia Regni Christi in hac uita.

*Pro meritis laudare, Deo gratissima res est,  
Nec poterat ritu commodiore coli.  
Magnificis Domini pietas & gloria uerbis,  
Non potuit uena diuitiore cani.*

Laus Dauid.

Propositio  
gratiarum ac-  
tionis.

**P**erpetua te laude feram Rex maxime rerum  
Mi Deus, ô maior uocis honore meæ.  
Perpetuo tua facta canam, tua nomina dicam  
Perpetuo, & si quid longius esse potest.  
Nulla dies sine laude tua mihi desinet unquam,  
Ista tuæ laudis fama perennis erit.  
Narratio, quæ  
exponit ratio-  
nes propositio-  
nis,

Magnus es & laudum elogio dignissimus omni,  
Qui dextra rerum sceptrâ potente tenes.

Quidam



Quam sis magnus enim quis perscrutabitur unquam?

Omnipotens adeo uis tua sine caret.

Nati natorum tua facta ingentia dicent,

Quasq; manu uires omnipotente moues.

Quæ tua maiestas, tua magnificentia gessit,

Omnia per populos facta stupenda loquar.

Vt narrent alijs tantas, tua robora, uires,

Omnibus ut tua sit gloria nota plagis.

Vt memorare tuæ possint bonitatis honorem,

Vt sit iusticiæ laus manifesta tuæ.

Vt pius ut clemens Deus est, ita lentus ad iram,

Adueniam properis passibus ire solet.

Omnibus est placidus, super omnia facta benignus,

Quæ prius immensa condidit ipse manu.

Te Deus agnoscunt opera omnia, te uenerantur,

Te celebrant sancti laudis honore tui.

Ornamenta tui regni, & decus omne loquentur,

Et tua carminibus fortia facta canent.

Vt sit mortales tua summa potentia in omnes

Cognita, sit regni gloria nota tui.

Sæcula uirga tui perstabit in omnia regni,

Meta potestatis non erit ulla tuæ.

Sustentat Dominus qui nutant quiq; labascunt,

Prostratos ab humo, qui iacere, leuat.

Te pater obseruant oculis, in te omnia sperant,

Quæ uitalis adhuc luminis aura fouet.

Et tu respiciens tribuis sua pabula cunctis,

Distribuens escam tempore cuiq; suo.

Mox ut aperta manus patuit tua, fundis in omnes

Omnia quæ uiuæ tempora lucis habent.

Vide quam magnifico titulo ornet misericordiam Dei.

Hæc est maiestas quam supra laudauit.

Est æternum regnum.

Est regnum remissionis peccatorum.

Etiam defenditur & alitur uita corporalis.

X

Atq;



Atq; ita quando uoles dextra tua munera aperta  
Diuidis, & satias, quæ uoluere, bonis.

Ἐσιφ ὧν καὶ ἄ  
Omnimoda Dominus ratione est iustus & æquus,  
Ille operum sanctus nil nisi sanctus agit.

Est regnum in Astat & est propior Deus implorantibus ipsum,  
quo audiuntur orantes. Quorum sunt solida pectora firma fide.

Qui Dominum metuunt quæ sunt his grata repperdit,  
Audit, & hos placida seruat ubiq; manu.

Est regnum in quo gubernantur & defenduntur pij. Qui Dominum reuerenter amant, hos ipse tuetur,  
Morte, sub hoc, pœnas impia turba dedit.

Perpetuo Domini laudes mea lingua loquetur,  
Illius & laudes omnia uiua canent.

## PSALMVVS CXLVI

Lauda anima mea Dominum, lauda.

## ARGVMENTVM.

Est eodem argumento cum superiori Psalmo. Commemorat enim beneficentiam Dei, quod est creator, quod seruat promissa, quod defendit, liberat, peccata remittit, afflictos & derelictos iuuat &c. Habere autem insignem antithesin, quod frustra fiducia in homines, fiducia autem in talem Deum non fallat.

Vna salus seruire Deo, atq; huic fidere soli,

Qui sibi fidentes liberat, auget, amat.

Mundo etenim, aut cuius hominũ cõfidere stultũ est,

Pondera qui ueræ nulla salutis habent.

Hallel



Halleluia.

**E**laage laude noua Domini celebremus honorem,  
 Mi anime his nostris insite uisceribus.  
 Laude noua Domino Psalmos & carmina dicam,  
 Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.  
 Spes in Principibus ne forte reponite uestras,  
 Quorum quam referat non habet ullus opem.  
 Sunt homines, nolite hominum confidere cuiquam,  
 Munera qui ueræ nulla salutis habent.  
 Spiritus æthereas hominis namq; ibit in auras,  
 Et redit in cineres quod cinis ante fuit.  
 Consilia illius tunc omnia uana peribunt,  
 Momento pereunt tam studia ista breui.  
 Felicem cui dexter adest Deus ille Iacobi,  
 Qui quæ de Domino commoda speret habet.  
 Qui cælos, terræq; orbem, maria omnia finxit,  
 Quæq; inclusa operum machina tanta tenet.  
 Ille nec esse potest mendax nec fallere quenquam,  
 Illius est omni tempore certa fides.  
 Iniuste afflictos qui uindicat esurientum,  
 Pallenti miseram pellit ab ore famem.  
 Ille leuat unctos, cæcis sua lumina reddit,  
 Ille manu pressos auxiliante leuat.  
 Diligit ille bonos, iustos Deus ipse tuetur,  
 Sumit ab hoc duris aduena rebus opem.  
 Pupillos Dominus uiduasq; extollit egentes,  
 Impius iratum corruet ante Deum.  
 Ille tuus Deus alma Sion Rex omne per æuum,  
 Iura ferens cunctis & Deus unus erit.

Propositio.

**Antithesis:** In homines confidere est frustra sed Deo confidere est utile. Addit aut utriusq; sententiæ rationes.

**Ratio propositionis,** quia Deus noster est deus salutis, id est longa commemoratione operum Dei explicat.

X 2

Psalmus



Laudate Dominum quoniam boni.

ARGVMENTVM.

Est gratiarum actio, pro beneficijs Dei  
spiritualibus & corporalibus, quæ longa  
oratione commemorat.

Qui pascit bonitate suos, & corda piorum,  
Qui fructu steriles ubere ditat agros,  
Qui pacem regnis, qui bella dat, ille ferendus  
Laudibus, huic gratos nos decet esse Deo.

Halleluia.

Propositio.

**E**Dite, ferite hilares Domino noua munera laudum,  
Nam pulcrum est merita dicere laude Deum.

Ipsius eximio Psalmos cantemus honori,  
Pulcra etenim laus est, & decet ipsa Deum.

Narratio, be-  
neficia spiritu  
alia primo to-  
co commemo-  
rat, qd seruat  
& consolatur  
Ecclesiam.

Restituet Solymas Dominus, dispersa reducet  
Membra, Israëlem colliget ille suum.

Qui læsis animos, & fractis corda medetur,  
Duraq; præsentis uulnera sanat ope.

Qui cælo fixos astrorum supputat ignes,  
Omnibus & stellis nomina certa dedit.

Magnus ut est Dominus, sic uirtus maxima, cuius  
Summa, modum nullum, uis rationis habet.

Mansuetos è sorde leuat, de sede superbos  
Deijcit, & terræ trudit ad ima malos.

Alternis cantate Deo, date iubila laudum,  
Stringite uocalis pleetra canora lyrae.

Humida



Humida qui toti prætendit nubila cœlo,  
 Vt pluuia terris præcipitentur aquæ.  
 Qui summis faciles in montibus educat herbas,  
 Et steriles colles pascua læta facit.  
 Qui sua iumentis dat pabula, dat sua pullis  
 Coruorum, querula quando ea uoce uocant.  
 Non huic robur equi placet in fera bella ruentis,  
 Non iuuat hunc fortis tibia crassa uiri.  
 Ipsum qui timere placent, bos diligit ultro,  
 Quicumq; ipsius spem bonitatis habent.  
 Effet laude Deum, Solymorum urbs inclyta regum,  
 Alma Sion Domini gratificare tuo.  
 Portarum uectes corroborat ille tuarum,  
 Et uario ciues ditat honore tuos.  
 Qui placidam statuit tua per confinia pacem,  
 Et tribuit pueris optima farra tuis.  
 Ille suum terras uerbum dispersit in omnes,  
 Ipsius ut penna præpete iussa uolant.  
 Non secus ille niuem quam lanæ uellera mittit,  
 Cum iubet, ut cineres, sparsa pruina iacet.  
 Qui glaciem ceu frustra iacet, dum grandine fœuit,  
 Tanta quis ipsius frigora ferre queat?  
 Amandat sua iussa & protinus ista liquefcunt,  
 Conuertit uentos, & fluit humor aquæ.  
 Qui decreta Israëlî sua nunciat, ipsi  
 Iussa quibus fidas magne Iacobetibi.  
 Talia facta Deus non Gentibus ededit ullis,  
 Nec notas leges fecit habere suas.

Beneficia corporalia communiatiotice creaturæ.

Hoc est, Dominus hæc ultro & gratis dat timentibus eum, non ijs qui presumunt de suis uiribus.

Hæc propria sunt populi Dei.  
Pax.  
Annona.

Commoda tempestas.

Donum uerbi in populo sancto.



## PSALMVS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis, laud.

## ARGVMENTVM.

Habet Psalmus exhortationem ad gratiarum actionem pro tota creatura Dei, in qua Deus ostendit bonitatem suam, & potentiam, ut tam bono & potenti Deo discamus confidere in omnibus periculis, & timere eum.

Regna, magistratus, hominum genera omnia, reges

Esse bona à Domino cuncta creata docet.

Omnia cum bona sint quæ fecerit ipse, quis ausit

Damnandum ex illis dicere uel minimum?

Halleluia.

Cœlum.

Angeli.

Sidera.

Motus uarij  
superiorū cor  
porum.

Aquæ super  
cœlos.

**C**œlestes animæ sublimia templa tenentes,  
E quibus hæc ingens infera lumen habentis  
Laudibus accumulate Deum super omnia magnū,  
Laudet in excelsis turba ministra Deum.  
Angelicæ mentes omnis, exercitus omnis  
Ipsius, agnoscant laudibus, esse Deum.  
Sol & Luna creatorem cognoscite uestrum,  
Non alio laus hæc ore canenda fuit.  
Omnia in illustri lucentia sidera cœlo,  
Testentur laudem solius esse Dei.  
Cœlorum uarij subsultent laudibus orbes,  
Quos circum se actos ultima terra uidet.  
Quæ super inductis pendent in nubibus undæ,  
Laudantes Domini se fateantur opus.



Ipsē suo Dominus qui condidit omnia uerbo,

Omnia sint isto nomine grata Deo.

Atq; ea perpetuos, ut sint stabiliuit in annos,

Quæq; dedit legum uincula certa tenent.

Vos quoq; quæ terras animantia cunq; tenetis,

Grata creatori laudibus este Deo.

Qui maria incolitis immensi maxima ceti,

Qualibet & uiuos quotquot abyssus habet.

Ignis edax rerum, permisti grandine nimbi,

Et pluuiæ bruma præcipitante niues.

Et uapor exiccans, & agentes nubila uenti,

Qui uerbis faciunt quæ iubet ille suis.

Omnes & montes & proxima culmina cælo,

Fructifera stirpes, robora dura Cedri.

O siluestria lustra fera quæcunq; tenetis,

Quæ colitis pecorum pascua prata greges.

Reptilium genus omne, auium genus omne uolantum,

Seu uos terga grauis, seu leuis aer habet.

Terrarum reges, populiq; & sceptrâ ferentes,

Quiq; tenenda loco principe iura datis.

Imberbes pueri, iuuenes, teneraq; puellæ,

Imbelles æuo iam grauiore senes,

Vna uoce Deum laudate, quod ipsius altum

Est super & terras, & super astra decus.

Ipsē sui regnum populi Deus euehet, omnes

Laus decet ista pios, laus decet ista bonos.

Laus decet hæc Israëlē quem diligit, & cui

Tam gratum populo nomen habere dedit.

Animalia ter-  
ræ.

Animalia ma-  
ris.

Meteora sunt  
opera Dei.

Fruges.

Volucres.

Populi, atque  
hic commēdat  
Spiritus sanc-  
tus politiam et  
œconomiam.

Præcipue autē  
populus Israël  
laudet Domi-  
num.



## Cantate Domino canticum nouum.

## ARGVMENTVM.

Est exhortatio ad gratiarum actionem pro beneficijs Euangelij, per quod nobis annuntiatur quod Deus habeat beneplacitum in suo populo, hoc est, quod non irascatur, sed per misericordiam ignoscat peccata, item quod defendat Ecclesiam in mundo a tyrannide, quæ Ecclesia per uerbum triumphat, et reges ac populos uerbo prostrernit, ut obediant Euangelio. Hæc enim sunt uincula, & carceres, quibus ratio constringitur.

*Qui ueniam immeritò gratis dat & exhibet orbi,  
Digna satis dici gratia nulla potest.  
Nobis conueniunt igitur noua cantica, qui nunc  
Luce noua uerbi, turba nouata sumus.*

Halleluia.

**Propositio.** **I**N ueras cantate Deo noua carmina laudes,  
qua exhortat **I**psius in cætu laus sapiente sonet.  
Ecclesiam ut ag **I**sraël autore suo se oblectet, & istam  
noscat beneficia **Læta Sion regem gaudeat esse sibi.**  
Dei, & pro ijs **Illi agiles turba ducant plaudente choreas,**  
agat gratias. **Illi cum citharis tympana pulsa sonent.**  
**Ratio** quia Deus **Nam placuit populus Domino suus, ille iacentes**  
est misericors **Subleuat, ille pijs causa salutis erit.**  
& defendit **af-**  
**flicta** Ecclesiam.



Lata triumphantes decorabit gloria sanctos,  
 Inq; suis thalamis carmina leta canent.  
 Ipsorum Dominum sublimem guttura tollunt,  
 Ancipites gladios in fera bella gerunt.  
 Ut meritam cunctis uindictam in Gentibus edant,  
 Castigent forti castra inimica manu.  
 Ferrea ut illorum cogant in uincula reges,  
 Nobilium dura compe de crura ligent.  
 Ut ius perficiant quod scriptum constat in ipsos,  
 Hoc decus, hoc sanctis omnibus illud erit.

Verbo bellige  
 ratur Ecclesia  
 cōtra mundū.

Ius est. Ioannis  
 XVI. Spiritus  
 sanctus arguet  
 mundū de pec  
 cato &c.

## PSALMVS CL.

Laudate Dominum in sanctis eius.

## ARGVMENTVM.

Est exhortatio ad gratiarum actionem,  
 quam uult non uno modo declarari, pro  
 pter magnitudinem & multitudinem bene  
 ficiorum, quibus & sub lege populum Isra  
 el, & in nouo testamento Ecclesiam cumu  
 lat. Porro Euangelij prædicatio est, qua una  
 Deus prædicatur, & nos gratitudinem sine  
 hypocrisi testamur.

Pro populo Israël grates agit, & docet ipsum,  
 Laudandum Solymis, sicut in arce Deum.  
 Quæ canit instrumenta quibus laudare solebant  
 Sunt nobis grates, carmina, uerba, preces,

Halleluia.

X 5

Sancta



**S**ancta nouo Domini laudantes numina plausu,  
 Carmina factori dicite grata Deo.  
 Dicite regnantem super omnia sidera cæli,  
 Qua sedis posuit limina celsa suæ.  
 Dicite quod nullum tam magna potentia finem,  
 Quod nihil hoc maius maximus orbis habet.  
 In laudes aptate tubas, clangoribus illum,  
 Et litui curui, & cornua rauca canant.  
 Huic arguta suas resonent Psalteria laudes,  
 Vocales Citharæ carmina blanda sonent.  
 Timpana festiuas imitantia pulsa choreas,  
 Hunc canat artificii Fistula tacta manu.  
 Huic deuota suas intendant Organa chordas,  
 Omnia quæ Musis gratia iuncta probat.  
 Stridola latifonas referentia Cymbala uoces,  
 Dulce ferant Domino iubila festa melos.  
 Deniq; uitalem quæcunq; per aëra spirant,  
 In Domini laudes carmina grata canant.

FINIS.



SALOMON

NIS ECCLESIA

STES CARMINE

REDDITVS,

PER

HELIVM EOBANVM

HESSVM.



LECTORI.

*Non bene planta uirens alieno adolescit in horto,*

*Non bene fucatum lumina pascit ebur.*

*Non bene natiuum uiolat cerussa colorem,*

*Turpiter inducto uina colore rubent.*

*Hei mihi si, quam sunt hæc uana simillima ueris,*

*Tam similis uano sit meus iste labor.*

*Sed quia non insunt toto hoc nisi uana libello,*

*Maluit hic uanus, quàm nihil esse labor.*



ILLVSTRIS  
SIMO PRINCIPI

AC DOMINO, D. IOANNI  
Friderico, Sacri Romani Imper  
rij Electori, Duci Saxoniae,  
Marchioni Misniae, Comi  
ti Prouinciali Thuringiae &c.

EOBANVS HESSVS  
S. D.



**L**IBRVM Solomonis de contem  
tu & uanitate rerum omnium, quae  
in humana uita uersantur, quem  
uulgo Ecclesiasten uocant, Latini  
à me uersibus nonnihil (si Dijs pla  
cet) illustratum, tuo clarissimo no  
mini optime Princeps dedicare uisum est, cum multi  
tas alias ob causas, tum potissimum duas, quod &  
ipse tuapte natura & generosa quadam indole sa  
lium scriptorum, quae ad pietatem faciunt, sis obser  
uantissimus, & quod liber hic ciuiliu actionum &  
politicae administrationis plurima praecipua conti  
neat, quae ad te tanquam Principem uerae pietati ac  
religioni conseruandae, tum etiam ad res gerendas,  
& in gerendis natum educatumq; maximopere per  
tinere arbitratus sum, cum & ei praefectus sis Imper  
rio, quod citra maximas publicarum administration



num curas ac labores geri regiꝑ; nequeat, & tuus  
 principatus in ea inciderit tēpora, quæ ut lucem quie-  
 dem Euangely sub felicissimæ recordationis, ac illu-  
 striss. fratribus, Friderico & Ioanne ducibus &c.  
 quorum hic tibi parens, ille patruus fuit, mundo resti-  
 tuerunt, ita fuerunt iam aliquot annis, hodieꝑ; sunt  
 omnium quæ unquam fuerunt turbulentissima, adeo  
 ut nisi, dum ab gerendis bellis, & rerum publicarum  
 curis uacas, talibus te ipsum libellis consoleres, nihil  
 firmè habiturus sis, quod magnopere in tantis nego-  
 ciorum turbis, uel oblectare possit animum tibi, uel  
 stabilem & quietam reddere conscientiam. Quam-  
 quam uerò & tu eiusmodi ingenia plurima, & mo-  
 dis omnibus nullo non genere eruditionis excellen-  
 tia, foueas, ut talium donorum beatissima copia nun-  
 quam non abundes, uolui præter etiam dictas iam  
 pauldantè causas, propter priuatam quandam tuam  
 in me benignitatem, uideri erga te non ingratus fuisse.  
 se, si huius libelli editione, animi erga te mei ualde  
 paratam beneuolentiam ostendissem, non tanquam  
 magno & tanto principe digno munere, sed propen-  
 sa potius erga tuam celsitudinem uoluntatis qualis-  
 cunque indice & argumento. Quanquam uerò non  
 ignorem hunc nunquam pro dignitate satis laudatum  
 libellum, à doctissimis uiris, D. Martino Luthero,  
 Pbilippo Melanchthone, Ioanne Brentio, & alijs,  
 satis egregiè illustratum, consilio tamen usus Reuer-  
 endi in Christo Domini Ioannis Dantischi Episcopi  
 Culmensis, & optimi uiri Ioannis Campensis, qui  
 eum librum  $\omega\alpha\gamma\alpha\phi\gamma\alpha\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$  uerterat, quod & su-  
 periore



periore anno in Psalterio fecerat, carmine Latino  
 signiendum, insignitum & quasi noua ueste indutum  
 ad te illustrissime Princeps mittere statui, in quo quia  
 plurimum properata est editio, multa insunt, que  
 nec ipsi mihi satisfaciunt, & alios possint nonnihil of-  
 fendere legentes. Sed erit, ut bona spes est, parca  
 mihi apud bonos uenia, cū uidebunt eadam tam sepe  
 fuisse dicenda. Quoties enim illi totius libri scopi re-  
 petendi fuerunt, uanitas, sub sole, stulticia, sapientia,  
 uidi, apposui, cor, leticia, ira, & eius generis alia mul-  
 ta, in quibus tamen quantum per breuitatem tempo-  
 ris (quo pene circumuentus eram) licuit, sic temper-  
 raui stilum, ut non eadem eisdem semper uerbis dice-  
 rem. Quod ad uersionem Campensis attinet, non sum  
 ausus per omnia, quamuis doctissimum uirum, sequi.  
 Sed addita etiam uersione Lutheri (à cuius eximia  
 eruditione uel latum unguem discedere nefas duco)  
 sic spero me utrunq; sequutum, ut neutri nec adieco-  
 rim, nec detraxerim quod offendere possit alterum.  
 Et confido potius ab utroq; me relaturum gratiam,  
 qui duorum pulcerrimo labori, tertius ipse uelut so-  
 cius sic accesserim, ut meorum nihil adiecerim, illor-  
 um optima scripta nouo quasi lumine Latini carmi-  
 nis illustrare, si non potuerim, certe conatus sum &  
 uoluerim. Debebunt magna ex parte hunc laborem  
 studiosi Episcoporum facile doctissimo D. Ioanni  
 Ratisponæ in comitijs, eius ipsius liberalitate ago-  
 rem, iniunxit. Debebunt & uel imprimis tibi Prin-  
 cept illustrissime, cuius diuinæ benignitati, & quasi  
 tutelari



tutelarum numini consecratus in lucem prodijt. In cala-  
 cem libelli adiecta est Elegia, non quia ceu nuper na-  
 ta nouitate sua placere tibi debeat, sed quia annis ab-  
 hinc aliquot ad te scripta, quasi postliminio reuersa,  
 pristinae te tuae erga me benignitatis sit admonitu-  
 ra. Bene uale Princeps optime, atque illustrissime,  
 meq; inter eos, qui tuae celsitudinis gloriae uere  
 ex animo fauent, annumerari pre-  
 cor ut patiare. Noribergae,

VIII. Nouembris.

Anno

M. D. XXXII.

ECCLE.



ECCLÉSIA  
STES SOLOMONIS  
PER HELIVM BO  
BANVM HES  
SVM.

**R**egia qui tenuit Solymarum scepra potentum,  
Psalmodographo Solomon de genitore satis,  
Cui celebrata dedit generosum concio nomen,  
Hæc loquitur certa uerba probanda fide:  
Omnia sunt omni uanissima tempore, quorum  
Nec lex, nec ratio, nec uia certa manet.  
Nam quæ commoditas, quis fructus ab omnibus istis,  
Quæcunq; in toto Sol uidet orbe geri?  
Se licet immodicis mortalia pectora curis  
Vexent, ut fructum quemlibet inde ferant:  
Non tamen inueniunt, quod quæsiuere, nec ullum  
Hinc operæ precium commodioris habent.  
Omnes qui siquidem mortales carpimus auras,  
Semper ad interitum turba parata sumus.  
Cunq; manu assidue rapiamur mortis auaræ,  
Mox alij subeunt, qui loca nostra petant.  
Interea non mota suo stat pondere tellus,  
Ceus locus hæc in quo fabula possit agi.  
Non secus ac plenum populo spectante theatrum,  
Alternæ celebrent quod sine fine uices.  
Sol nunc Hesperias intrat, nunc exit ab undis,  
Nunc reuehet celeres, nunc reuocabit equos.  
Atq; ita continuo, quæ conspicit omnia, motu,  
Mutat, & ut constans nil sinat esse, facit.

Tollitur



Tollitur bumentem nunc uenti flatus in austrum,  
 Nunc idem Boreæ frigida regna petit.  
 Nunc alias orbis partes operosus oberrat,  
 Donec eò redeat, unde profectus erat.  
 Flumina in Oceanum labentia cuncta feruntur,  
 Nec tamen Oceanum fluctus, & unda grauant.  
 Nam simul intrarunt mare flumina, cuncta remittit,  
 Vnde queant cursus mox iterare suos.  
 Dum requies rebus nunquam datur ulla, nec ullo  
 Tempore consistat, quicquid in orbe uides.  
 Nemo potest rerum certas cognoscere causas,  
 Nemo potest rerum nomina uera loqui.  
 Namq; oculos fugiunt se contemplantis, & aures,  
 Atq; ita prætereunt dum remanere putas.  
 Nostri etiam sensus omnes mutantur in horas,  
 Nec quod uere horum iudicet ullus habet.  
 Vertitur ipse etiam uentis agitabilis aër,  
 Nec species ueras, nec simulacra refert.  
 Quicquid ab antiquo rerum natura creauit,  
 Hoc etiam series temporis huius habet.  
 Cui similes alias producet serior ætas  
 Effigies, adeo res modo nulla noua est.  
 Nulla adeo noua sunt sub aperti lumine solis,  
 Quæ tales possint non subiisse uices.  
 Vlla dari ne potest res, de qua dicere possis,  
 Hæc noua res aliquo tempore nulla fuit?  
 Nulla potest, nam præterito fuit illa sub æuo,  
 Et perijt, uelut est hæc peritura breui.  
 Tempora nostra nihil prorsus meminere priorum,  
 Vno namq; omnes interiere modo.

Y

Nos



Nos quoq; quæ stulte nostris miramur in annis,  
 Quæq; agimus, nunquam sæcla futura scient:  
 Ipse ego cui tribuit sacratum concilio nomen,  
 Qui fero sublimi regia sceptrâ manu.  
 Tota licet solus Iudaica regna gubernem.  
 Et Solymas habitem possideamq; domos.  
 Pectore in hoc toto, tota huc ratione ferebar,  
 Hoc mea mens auide parturiebat opus.  
 Ut rerum causas scrutarer, & omnia scirem,  
 Quæ fieri celsa Phœbus ab arce uidet.  
 Anxius ille ardor studij mortalia torquet  
 Pectora, ob idq; animis indidit ipse Deus.  
 Omnia scrutatus quæcunq; sub æthere fiunt,  
 Inueni præter nomina uana nihil.  
 Quæ tamen ut cum sint uanissima, scire uolentum  
 Anxia perturbant pectora mille modis.  
 Quod semel ad nihilum est ex omni parte redactum,  
 Restitui nulla conditione potest.  
 Talibus hic autem, quæ sunt obnoxia damnis,  
 Comprendi numero qua ratione queant?  
 Cognita cunq; mihi sapientia multa fuisset,  
 Adieci à priscis multa reperta uiris.  
 Nam studio sunt multa meo superaddita, quæ sint  
 Auxilij rebus non habitura parum.  
 Ut saperem toto ingenio studia ista sequebar,  
 Elogium rerum quæ sapientis habent.  
 Utq; ea consequerer magis, & perfecta tenerem,  
 Stulticias etiam discere cura fuit.  
 Sed dum conor & hoc, uideo, tormenta, labores,  
 Indignumq; animi se cruciantis opus.

Nam



Nam quicumq; uolet sapientior esse uideri  
 Omnibus, atq; ista nescit in arte modum.  
 Multa ingrata feret, multa experietur amara,  
 Plurima cogetur non toleranda pati.  
 Qui uerò studijs noua sepe prioribus addit,  
 Ipse sibi demta sine molestus erit.  
 Nil nisi uana igitur spectans ludibria rerum,  
 Ipse tibi cæpi talia uerba loqui:  
 Obliterate iocis, risus age, non tibi decrit  
 Copia, nec uitæ luxuriantis opes.  
 Vere delicijs præsentibus, utere quicquid  
 Læticia mentes exbilarare potest:  
 Hæc ego dicebam, sed & hæc quoq; uana putauit,  
 Et uidi stabilem non habitura locum.  
 Infelix fatuum sequitur dementia risum,  
 Vita fit immodicis omnis inepta iocis.  
 Ergo ego constitui contemnere, quicquid ubiq;  
 Dulce uoluptatum copia diues habet.  
 Abstinuissè mero, conuiuia spernere, corpus  
 Amplius haud ullis exbilarare modis.  
 Atq; ita stulticiam, quia uita humana referta est,  
 Discere, quæ reliquis rebus inesse solet.  
 Siquid fortè animo uel in his occurrere possit,  
 Quod sequar, & uanum non uideatur opus.  
 Ista uoluptatum mihi dum genera omnia sumo,  
 Hoc ut prætextu discere multa queam.  
 Non perit illecebris, non curis languet ab istis,  
 Non animus solitum deserit officium.  
 Singula sed iusta perpendens facta bilance,  
 Prudentis partes & sapientis agit.



Ergo nec aggressus uulgaria, condere cæpi,  
 Quis nullæ possent ædibus esse pares.  
 Plurima per nostros plantata esse uinea colles,  
 Multa mihi in patrijs floruit uua iugis.  
 Mille uoluptatum uiridaria plena parauit,  
 Innumeris plenus floribus hortus erat.  
 Arboribus quæ fructiferis conseruimus omnem,  
 De genere hic arbor quolibet unus erat.  
 Iussi etiam extractis manare canalibus undam,  
 Ut uirides hortos irriget humor aquæ.  
 Præsidia institui, famulos famulasq; coëni,  
 Et quibus est uernis pluribus aucta domus.  
 Armenta atq; gregum possedi plura minorum,  
 Quàm Solymas quisquam qui prior obtinuit.  
 Quanta mihi fuerit fului preciosa metalli,  
 Quanta mihi argenti copia, nemo roget.  
 Innumerabilibus mea regia dotibus aucta est,  
 Quales præcipuè regia sceptrâ decent.  
 Præfectos plures statui, terrâq; mariq;  
 Quis fuerant regni credita iura mei.  
 Cantores etiam cantatricesq; coëgi,  
 Esset ut in nostra Musica tota domo.  
 Quasi eram multa formosas arte puellas,  
 Nec uidit plures nec tulit ulla domus.  
 Has siquidem nulla est feritas tam barbara, quæ  
 Sit licet ingenti plena rigoris, amet.  
 Hoc ego magna modo sum nactus nomina, meq;  
 Clarior è ueterum sanguine nemo fuit.  
 Omnibus his se uera ducem sapientia rebus  
 Præbuit, et constans affuit ipsa mihi.



Ex his quicquid erat, quod pascere posset ocellos  
 Hoc ipsi tanquam pabula læta dedi.  
 Nullum læticiæ genus & non ulla refugii  
 Gaudia, momento nostra futura breui.  
 Quin se animus potius noster præsentibus explet  
 Delicijs, quibus est maxima cura frui.  
 Cunq; nimis multo studio quæsitâ uiderem  
 Plurima, quæsitâ abstinuisse queam?  
 Nam nihil inueni fructus ex omnibus istis,  
 Quæue bona hinc credam commodiora dari.  
 Oblectabilibus quàm pascere lumina spectris,  
 Quàm renouare animi gaudia mille modis.  
 Iamq; recensẽbamq; & mecum cuncta relegi  
 Omnia, quæ nostræ constituere manus.  
 In quæ uisus ego tantum insumsisse laboris,  
 Ante ea quam prorsus perficerentur, eram.  
 Omnia deprende nihili res esse, nec ulla  
 Semper in infracto parte manere gradu.  
 Quæ tamen excrucient animum, curisq; molestis  
 Sæpe suis fractum sedibus excutiant.  
 Atq; ita re nulla stabilem consistere fructum,  
 Donec in hoc fragilis corpore uita manet.  
 Demum respiciens ad easdem rebus in ysdem,  
 Quàm fuerim sapiens noscere cura fuit.  
 Vidi quanta foret temulenti insania Bacchi,  
 Quanta mala ebrietas perniciofa ferat.  
 Stulticia reliquæ res non caruere, nec ullæ  
 Erroris maculam non habuere sui.  
 Nam quis homo est aliquid conari ut grandius ausit,  
 Ut referat regis facta stupenda Dei?



Cum minimum nec possit in his æquare laborem,  
 Quod dabit innumeros, & dabit omnipotens.  
 Verum stulticia quantum sapientia distet.  
 Hæc ratio est ista cognita lege mihi.  
 Ut quantum tenebras differre à luce uiderem,  
 Tantum illa hac esset posteriore loco.  
 Nam sapiens in fronte oculos habet, omnia spectans.  
 Omnia prudenti cum ratione uidet.  
 Palpitat in tenebris stultus ceu lumine cassus,  
 Et nihil & nulla cum ratione uidet.  
 Sed tamen, hoc certum est, idem manet exitus omnia  
 Interea & uanis omnia uana cadunt.  
 Ergo ego si mecum: si non sim liber ab istis,  
 Quæ stultos ueluti somnia uana, mouent.  
 Quorsum conabar fieri sapientior æquo?  
 Cur alijs in me plus rationis erat?  
 Ergo iterum uidi, quàm nec sapientia uanis,  
 Et stultis careat finibus ipsa suis.  
 Pluribus haud etenim sapiens memorabitur annis,  
 Quàm stultus, quoniam uixit uterq; breui.  
 Sicut enim quod præteritis effloruit annis,  
 Nocte graui pressum, nunc sine fine iacet:  
 Sic etiam quod nunc præsentis floret in æuo,  
 Flumine Lethæo sæcla futura prement.  
 Idem finis erit stulti & sapientis, & uno  
 Parca ferox fato coget utrunq; mori.  
 Cur as ergo hominum tam detestabar ineptas,  
 Quorum esset miseris perdita uita modis.  
 Cum nihil aut fructus, aut floris ubiq; uiderem,  
 Sed magis innumeris omnia plena malis.



Omnia fidereo quæ lustrat lumine Phœbus,  
 Plus nimio uani quàm bonitatis habent.  
 Et nihil hæc præstant, quàm quòd noctesq; diesq;  
 Excrucient animos, supplicioq; premunt.  
 Odi etiam magno quantumuis parta labore,  
 Atq; meum toto quicquid in orbe fuit.  
 Cuncta quod hæredi sunt hæc tradenda futuro,  
 Qui mihi successor constituendus erit.  
 Quis nouit sapiens, stultus ne sit ille futurus,  
 Qui mea qualis erit cunq; relictæ feret.  
 Cuncta furet certe tanto congesta labore,  
 Per uitæ spacium tempora longa meæ.  
 Hæc quoq; dum meditor, quæ possit caussa uideri  
 Vanior est uana uisa fuisse mihi.  
 Ergo animo curas euellere protinus omnes  
 Constitui, quibus hæc anxia uita fuit.  
 Hoc ego cum facerem, sapientior esse uidebar,  
 Inter quos solis lumina cunq; uident.  
 Namq; tibi ut fuerit sapientia cognita, palmam  
 Eximia rerum cognitione feras.  
 Instituas omnem sine luxu degere uitam,  
 Tecum auferre tamen nil potes inde tuum.  
 Cuncta tamen quæcunq; tenes possessa relinques  
 Illi, cui curæ res tua nulla fuit.  
 Hoc quoq; cur hominẽ non torqueat? hoc quoq; uanũ  
 Cum sit, habet merito nomina uana, malum.  
 Quæ namq; his curis obnoxius, anxia torquens  
 Pectora, quæ sua sint, accipere inde potest.  
 Vita hominis misera, et multorum plena malorum,  
 Omnia conando tædia multa subit.



Infelix animus tacita nec nocte quiescit,  
 Hanc quoq; rem uanam dicere iure potes.  
 Nil homini melius quam si oblectetur in istis,  
 Quæ natura manu liberiore dedit.  
 Nempe cibo utiq; uolens indulgeat, & se  
 His opibus recreet, quas Deus ipse dedit.  
 His etenim, cum sint diuinæ munera dextræ,  
 Vti, tristitia non prohibente, decet.  
 Nam quis splendidior ne sumtibus extitit ullis?  
 Cui magis hæc, inquam, dextra benigna fuit?  
 Certè homini quem dexter amat Deus, his dabit uis  
 Rebus, & ut sapiens talia dona probet.  
 At coaceruandi studium dimittet iniquo,  
 Ut precium lucri congerat omne sui.  
 Atq; ea, quæ demum congesserit, omnia tradet  
 Illi, cui Deus hæc usus esse uolet.  
 Multa igitur cum sint in rebus mania cunctis,  
 Dic age quid uano hoc uanius esse potest?  
 Omnia mutantur uicibus nascentia certis,  
 Nec quicquam stabile est, quod queat esse diu.  
 Qui nunc nascuntur, morientur tempore certo,  
 Quæ plantata uides, auferet hora sequens.  
 Olim planta fuit, quæ nunc succiditur arbor,  
 Quæ nunc destruimus, structa fuere prius.  
 Nunc fletu nimio deducimus anxia uitæ  
 Tempora, nunc risu soluimur immodico.  
 Nunc aliquo atterimus lugentia pectora casu,  
 Iam non læticiæ nos modus ullus habet.  
 Diruimus ueteres & ab yisdem sæpe ruinis  
 Venit cura nouas ædificare domos.



Interdum placuit cupidis amplexibus uti,  
 Oscula nonnunquam displicuisse solent.  
 Querimus interdum, quod perdere demde queamus,  
 Nunc positas nuper dilapidamus opes.  
 Quæ modo consumimus, iam nunc discerpimus, & sunt  
 Garrula nunc nobis guttura, muta modo.  
 Sæpe aliquos raro affectu constanter amamus,  
 Sæpe odio insequimur, qui modo gratus erat.  
 Sæpe inimicitias agimus, quas ponere tandem  
 Collibitum est, & pax gratior inde uenit.  
 Quem tandem ex rebus tam se pugnantibus inter  
 Mortalis fructum sumere quæso potest?  
 Hæc Deus humanæ immisit ludibria menti,  
 Ut meritas habeant peccora nostra cruces.  
 Omnia quæ Dominus fecit, pulcherrima fecit,  
 Et bona quæq; suo tempore quæq; loco.  
 Totius ille idem fecit latera ardua mundi,  
 Humanisq; oculis conspicienda dedit.  
 Scilicet ut rerum miracula tanta uidentes,  
 Grande creatoris confiterentur opus.  
 Quamquam tantarum causas & condita rerum,  
 Nemo unquam potuit noscere, nemo potest.  
 Hic quoq; deprendi, nihil esse sub omnibus illis,  
 Quod iuuet, anxificum præter habere nihil:  
 Quam genio indulgere, animiq; remittere curas,  
 Donec nostra calens corpora sanguis alat.  
 Hoc cui contigerit donis præsentibus uti,  
 Placati munus credat adesse Dei.  
 Tale etenim certe fiet quodcunq; futurum est,  
 Quale ipsum Dominus, qui facit, esse uolet.



Nec quicquam adijciat quisquam nec tollet ab illo,  
 Quod facit ut sese nos uereamur, opus.  
 Nil sub sole nouum, quod enim fuit ante, futurum  
 Sic fuit, atq; ipsum sæcla futura ferent.  
 Assidue siquidem reuocat quæcunq; fuerunt,  
 Sequitur hinc, ceu celeri proripuerit gradu.  
 Et uelut in toto non sit satis orbe malorum,  
 Ex uarijs rerum disparibusq; modis,  
 Vidi iusticiæ loca designata ferendæ,  
 In quibus impietas ipsa tyrannis erat.  
 Simplicis in cathedram successerat impius æqui,  
 Et regni extulerat sceptrâ cruenta sui.  
 Hæc ego miratus, tacito mihi murmure dixi,  
 Vtraq; constabit iudice causa Deo.  
 Iustus enim sub eo stabit, et cadet impius, illo  
 Iudice, qui iustum iudicat, atq; facit.  
 Omnia namq; breui sunt discernenda per ipsum,  
 Quæ uel agit uel nunc cogitat omnis homo.  
 Cum nihil his aliud rebus causæ esse uiderem,  
 Ista fere mecum quæ meditabar erant.  
 Has Deus immittit pestes mortalibus agris,  
 Talibus ut monstris corda superba domet.  
 Ut cum se uideant brutorum uiuere uitam,  
 A pecorum uita non procul esse sciant.  
 Nam nec habent humana aliud ludibria, quàm quod  
 Brutorum faciat sensibus esse pares.  
 Et mors est eadem brutiq; hominisq; nec ulla  
 Illius est huius conditione prior.  
 Nec potis est animam potiore dicere quisquam  
 Esse hominis, quàm qua uiuere bruta uides.



Nec præstant homines quicquam ullo nomine brutis,  
Quòd tam sunt uani, hi quàm nulli illa ualent.  
Sive hominem spectes, sed quicquid ubiq; creatum est,  
Idem quo tendant & locus unus erit.  
Cuncta suos repetent ortus matremq; requirent,  
Et quæcunq; dedit, cuncta uorabit humus.  
Et quis scire potest, quid sit post fata futurum?  
Sit ne anima ad superas nostra abitura domos?  
An potius moritura ægro cum corpore, sicut  
Utroq; intereunt omnia bruta modo.  
Omnia quæ postquam cognoui uana, putabam  
Omnia præclarum consuluisse boni.  
Pellere tristitiam, sine sollicitudine uitam  
Degere, nec partis abstinuisse manum.  
Munera enim diuim data sunt mortalibus ægris  
Hæc bona, ut oblectent his sua corda datis.  
Cætera sunt aliena homini quæ cuncta relinquet,  
Et nihil ex illis post sua fata feret.  
Quantumuis nimis sint anxia pectora curis,  
Nil prodest, nihil hinc utilitatis erit.  
Ultima quis dicet, quid sit post fata futurum?  
Ergo & stulticiæ res habet ista satis.  
Hinc aliò uertens animum, mortalia uidi  
Pectora diuersis exagitata malis.  
Innumeros uidi flentes, quos scilicet hostis  
Impius iniustis cladibus afficeret.  
Nec quisquam miseris aderat solatia præbens,  
Qui placidam duro tempore ferret opem.  
Illa ego conspiciens felices esse putabam,  
Qui nuper uisum deseruere diem.

Sed



Sed tamen his magis felices, nimiumque beatos,  
 Quos nullo nasci tempore contigerit.  
 Hi siquidem nihil istorum uidere malorum,  
 In quibus hæc omnis uita sepulta iacet.  
 Longo me docuit facta experientia ab usu,  
 In nostris sanis mentibus esse nihil.  
 Huc studia, huc mores hominum potiora referri,  
 Vicino ut possit quisque nocere suo.  
 Ut quas quisque queat sibi consuluisse per artes,  
 Alter in alterius damna paratus eat.  
 Quæ quid habent aliud, quam curas atque labores,  
 Et miseris animo se laniante cruces?  
 Hos alij toto uitantes pectore mores,  
 In uitia his etiam deteriora ruunt.  
 Segnia continuo ducentes ocia luxu,  
 Exiguo absunt tempore quicquid habent.  
 Donec egestosa iam paupertate coacti,  
 Ipsi se miseros et sua membra uorent.  
 Tu potius duro sapiens insiste labori,  
 Quodque facis, fatuus non remoretur opus.  
 Quod si forte manum tibi non implebit utranque  
 Copia, tu lætus quantulacunque tene.  
 Præstat enim minimo gaudentem uiuere lucro,  
 Quam luxu miseros præcipitare dies.  
 Hinc aliud uertens oculos, uariissima uidi  
 Plurima, queis poterat uanius esse nihil.  
 Sunt qui cuncta hominum fugiunt consortia, tanquam  
 Ad se pertineant commoda nostra nihil.  
 Qui neque coniugij, carissima pignora fructus,  
 Nec sociæ quicquam conditionis habent.



Et tamen haud aliter duros obiere labores  
 Quàm si multa hominum millia alenda forent :  
 Quorum nulla sitim sedauerit unda nec Hermi,  
 Nec fluuio fului diues arena Tagi.  
 Ni nunquam ad sese redeant, ut dicere possint :  
 Cui miseri tantas accumulamus opes ?  
 Quos propter genium fraudamus & ista subimus,  
 Quæ parit assiduus tædia multa labor ?  
 Cui bona contrahimus tot tantaq; nec tamen uti  
 Possumus aut ullo nos recreare modo ?  
 Horum si qua alia est, hæc est insignior omni  
 Stulticia, atq; aliquem non habet ista modum.  
 Hoc animum torquet noctesq; diesq;, nec ullo  
 Tormentum requiem tempore habere sinit.  
 Quare commodior uisa est mihi uita duorum,  
 Quos una æquali iungit amore fides.  
 Nam sociata fides ingentia comoda præstat,  
 Et mala quæ ferimus plurima sæpe leuat.  
 Nam si de socijs alter cadat, erigit illum  
 Alter, & abiectum non sinit esse diu :  
 Et forsitan periturus erat, nisi subleuet ipsum,  
 Et ferat optatam fidus amicus opem.  
 Siduo conueniant in eodem corpora lecto,  
 Calfacit amborum mutuus ossa calor.  
 Solus, & in uacuo recubant sine compare lecto,  
 Frigida uix aliquo membra calore rigat.  
 Raro unus potuit uires uicisse duorum,  
 Et grauiora triplex robora funis habet.  
 Egregie iuuenis cordatus, & indole præstans,  
 Rege sene & stupido est nobilitate prior.

Qui



Qui iacuit tetro quandoq; in carcere uinctus,  
 Parta suis meritis regia sceptrata tulit.  
 Sæpe etiam regum de sanguine natus, ad ima  
 Corruit, & propria dilapidauit opes.  
 Illius ambit amicitiam sibi quisq; profecto,  
 Quem patris effœti sceptrata ferenda manent.  
 Nec minus ante senem multa pietate colebant,  
 Dum iuuenis regno præficiendus erat.  
 Sicut & ante fuit multis grauis ista tyrannis,  
 Sic etiam iuuenis durior huius erit.  
 Hæc quoq; res alias inter uanissima uisa est,  
 Ambitus hic animo tædia multa mouet.  
 Sacra saluti ferri subiturus limina templi,  
 Ne tuus incipiat pes titubare caue.  
 Et dociles adhibe dictis præsentibus aures,  
 Gratius est ipsi uictima nulla Deo.  
 Grata Deo non sunt pingues holocausta per aras,  
 Nec sacra quæ stulti persoluere manus.  
 Nescit enim mala quanta patret mens impia stulti,  
 Dum mala tantum ipso nomine multa facit.  
 Cunq; Deum timida uenerabere uoce precatus,  
 Hunc te audire, tibi hunc semper adesse putat.  
 Hic ne diuinis multis oneraueris aures  
 Vocibus, immodicas non amat ille preces.  
 Nam qui nulla suis precibus moderamina ponunt,  
 Aut raro aut nunquam quod petiere ferunt.  
 Ante Deum quis enim cupiat disertus haberi,  
 Aut nimia inflato gutture uerba loqui?  
 Ipse etenim cœli folio sublimis ab alto  
 Omnia cœlesti lumine nostra uidet.



Vix uidet, sic quæ gerimus Deus omnia nouit,  
 Qua ratione huic garrulus esse uoles?  
 Sicut enim nimia gignunt insomnia cura,  
 Sic adimunt precibus plurima uerba fidem.  
 Nitamen orando quicquid promiseris ipsum  
 Absq; mora studeas persoluisse uide.  
 Ne tanquam insipiens promittere multa paratus,  
 Hac ipsa offendas conditione Deum.  
 Praestat enim nouisse nihil, quàm reddere nunquam  
 Aut nihil ergo uoue, uel facienda uoue.  
 Ergo caue, ne lingua loquax te crimine tanto  
 Obruat, irritent ut tua uerba Deum.  
 Neue putes ipsum res negligere angelon istas,  
 Qui te qui reliquos, qui tua cuncta uidet.  
 Quem sibi peccati uerum mens conscia testem,  
 Non secus, ac ipsum conspicit ante Deum.  
 Nam tibi promissis nimio, nimiumq; loquaci,  
 Polliciti ratio uix satis ulla fuit.  
 Quod tibi tam leue forte putas & inutile factum,  
 Offendit mira conditione Deum.  
 Ergo preces non ille tuas exaudiet unquam,  
 Certus in ingratum uertere quicquid ages.  
 Sicut multa uagas ubi turbant somnia noctes,  
 Multa quoq; ex illis uana uenire solent:  
 Sic etiam in multis uerborum ambagibus error  
 Plurimus, & multis plurima uana modis.  
 Quare age tu reuerere Deum, uerumq; timorem  
 Illius in tacito pectore semper habe.  
 Pauperis oppressi cladem si uideris usquam,  
 Si sua iusticiæ iura negata cadunt.



Ne sic obstupescas, ne sic mireris, ut ipsum  
 Talia facta Deum posse latere putes.  
 Nam malus ille suum quoque habet qui talia curet,  
 Et super hos regnat maior utroque manus.  
 Rex etenim toti terræ qui præsidet unus,  
 Omnia constituet legibus ista suis.  
 His faciet deserta colli regionis et agros,  
 Vnde bonis largæ suppeditetur opes.  
 Summum crede mihi terreno hoc munus in orbe est,  
 Qui tibi non uanas fundat ageribus opes.  
 Qui fructu queat assiduo satis esse colenti,  
 Et ferat alternus munera iusta labor.  
 Talis ager cui contigerit, num iure creatum  
 Dixeris, et certe rex erit ille mihi.  
 Magnarum quem uexat opum uesana cupiditas,  
 Nunquam erit, aggestis ut satur esse queat.  
 Nec fructum ex illis feret unquam diues auarus,  
 Quid precor hoc etiam uanius esse potest?  
 Diuitiæ plures ubi sunt, ibi plurima turba est,  
 Omnia quæ malto parta labore uorat.  
 Nam quid habent aliud fructus, nisi diues ut illas  
 Absumi uideat nocte dieque miser?  
 Grata quies post exhaustum solet esse laborem  
 Seu modica est alicui, seu bona cæna domi.  
 Nulla graues capiunt opulenti somnia cura,  
 Dormire hunc etiam non patiuntur opes.  
 Est genus hoc etiam satis exitiale malorum,  
 Et quo uix aliud tristius esse queat.  
 Diuitiæ nam sæpe uiri, qui condidit illas,  
 Seruatæ in proprium damna tulere caput.



Dilapsæ dominos misere afflixere, quod hæres  
 Illi succedens auferat inde nihil.  
 Sicut enim progressa suæ sunt matris ab aluo,  
 Sic ortus repetent corpora nuda suos.  
 Et nihil horum alicui secum hinc auferre licebit,  
 Plurima quæ propter sæpe molesta tulit.  
 Hoc quoq; triste malû, genus hoc miserabile uitæ est,  
 Qua ueniunt omnes hæc repetenda uia est.  
 Quid prodest igitur uarijs affligere curis,  
 Atq; animum nulla posse quiete frui.  
 ærumnosi homines cunctos uixere per annos,  
 Semper & ipsorum sordida uita fuit.  
 Rectius ergo bonis uitæ partisq; fruemur,  
 Quæ tanto peperit nostra labore manus.  
 Hæc inter miseræ non pauca incommoda uitæ,  
 Quæ grauibus curis pectora nostra premunt.  
 Præcipuè cum uita breuis minatur in horas,  
 Et quæ ferre potest commoda sola ferat.  
 Si cui diuitias dederit Deus, addat eidem  
 Vt magnifico pectore posse datis.  
 Hoc ingens donum esse Dei quis nesciat? atq; hoc  
 Munere censenda est dextra benigna Dei.  
 Quisquis enim talis fuerit, non ille bonorum,  
 Quæ Deus obtulerit, non memor esse potest.  
 Nec mala turbabunt hunc huius plurima uitæ,  
 Quod Deus hunc lætum pectus habere iubet.  
 Cuiq; uiderentur genera infinita malorum,  
 Hoc quoq; de multis, quod meditabar, erat.  
 Vidi diuitijs saturos, quibus ipsa benignas  
 Copia de cornu deuote fugit opes :

Z

Quo



Quorum magna domos impleuit gloria, & illis  
 Iam nihil hæc ultra, quod peteretur, erat.  
 Sed Deus his animum, quo possent talibus uti  
 Non dedit, hi partis abstinere manum.  
 Cuncta relinquentes hæredibus ista futuris,  
 Forsan & ignota dilapidanda manu.  
 Hæc res uana quidem, sed nulla frequentior usquam,  
 Et quæ plus hominum mentibus insideat.  
 Si quis forte domi natorum pignora centum,  
 Et simul innumeras accumulârit opes,  
 Sit super, & plures uitam producat in annos,  
 Defraudet genium qualibet arte suum.  
 Inde sepultura careat neglectus honesta,  
 Qualia diuitibus multa uenire solent.  
 Hoc magis est felix, fracta qui matris ab aluo,  
 Editus est uisum mortuus ante diem.  
 Hic etenim quanquam in superas non uenerit aurum,  
 Nec uaga Luciferi uiderit hora Dei:  
 Liber ab ærumnis tamen extitit ille, cruces quas  
 Perpetuas animi diues auarus habet.  
 Quid prodest si quis uiuat bis mille per annos,  
 Qui uolet à proprijs abstinuisse bonis?  
 Nonne suum finem tam longa morabitur ætas?  
 Cunctorum & finis qui fuit huius erit?  
 Non alios homini fructus peperere labores,  
 Quàm nisi ut ex animo uiuere possit, edat.  
 Quod quanquã facile est, animo tamẽ omnia desunt,  
 Expleri cuius dira cupido nequit.  
 Num bona præstabunt sapienti plura labores,  
 Quàm fatuo? et quis in hoc est ne hic, an ille prior?



Sola suos *Mopi* confert industria uictus,  
 Vnde aliorum hominum uiuere more queat.  
 Ergo oculos melius præfenti est pascere fructu,  
 Quàm uarijs animum motibus esse uagum.  
 Munere concessis præsentibus utere diuùm,  
 Omnia donanti mitte futura Deo.  
 Is larga quæcunq; dedit tibi munera dextra,  
 Non dedit ut parcas, ut fruerere dedit.  
 Quærere plura animo se non capiente molesta est  
 Crux nimis, & finem non habet ista fames.  
 Cur quod nondum olim fuerat, iam nomine notum  
 Ante Deum, prius & quàm pareretur, erat?  
 Quodq; idem ille, uelit nolit, post tempora multa  
 Bisset in humana carne futurus homo.  
 Nec possit nisi cum Domino contendere frustra,  
 Cur se non alium fecerit, aut alium.  
 Qui uolet ergo Deo multis contendere uerbis,  
 Vanus hic est, solidæ nil rationis habens.  
 Quæ Deus humanæ, seu sint bona, seu mala, uitæ  
 Immittit, placido pectore ferre decet.  
 Non homo nouit enim quid inutile, quidue petendum,  
 Donec in hoc tristi uiuitur exilio.  
 Qualis enim uana est umbræ fugientis imago,  
 Talis uita hominum præterit, errat, abit.  
 Dicere quis poterit, quid nam sit in orbe futurum,  
 Quæ bona quòdue malum quælibet hora ferat.  
 Sunt optanda magis puræ bona nomina famæ,  
 Nobilis unguenti quàm preciosus odor.  
 Et melior suprema dies in limine mortis,  
 Quàm quæ natali sidere prima fuit.



Et plus te socium lugentibus esse decebat,  
 Quàm conuiuantes inter habere locum.  
 Discis enim finem quem sis habiturus ab illis,  
 Et quæ te maneant facta futura uides.  
 Tristitia est risu melior, quia tristitia uultus  
 Signa sui memorem reddere posse ferunt.  
 Tristiciam sapiens meditatur, gaudia stultus  
 Omni consuevit tempore uana sequi.  
 Rectius à sapiente uiro obiurgabere, quàm si  
 Blandimenta uiri desipientis ames.  
 Nam qualem stipulæ sonitum fecere crepantes,  
 Quas flamma in medio crispat auara fco:  
 Tales sunt fatui risus, sed & hoc quoq; uanum est,  
 Quod stultum sapiens admonuisse tulit.  
 Nam si forte malos obiurget & increpet ulro,  
 Quod nimis imponunt pondera magna bonis.  
 Oderunt mox uerba uiri, quem perdere tentant,  
 Affliguntq; malis, insidiasq; struunt.  
 Ergo magis finem rerum spectare licebit,  
 Quàm quæ principij causa fuisse queat.  
 Vir bonus est, animo qui sustinet omnia magno,  
 Vir malus est, alios qui sine fronte notat.  
 Nunquam degenerem cito commouearis ad iram,  
 Stultum namq; frequens arguit ira uirum.  
 Ne reputes tecum, cur nam meliora fuerunt,  
 Quàm sint hi nostri, tempora prisca dies.  
 Non etenim sapiens unquam tam friuola curat,  
 In quibus est operæ, quod meditare nihil.  
 Nam certum est tam prisca suos habuisse labores,  
 Quàm clades habeant tempora nostra suos.



Diuitijs coniuncta bona est sapientia, nam plus  
 In uitæ officijs utilitatis habet.  
 Nam bona multa homini præstat sapientia, multum  
 Momenti quoq; habent, si modereris, opes.  
 Verum hoc diuitijs sapientia præstat Et anteit,  
 Quod sibi deuinctos uiuere sola facit.  
 Contemplare Deus quæcunq; creauit, ab ipso  
 Recta quis instituet, facta supina Deo?  
 Qui sapis ergo, bonis presentibus utere lætus,  
 Aduersas animo ser patiente uices.  
 Nam Deus esse uices uoluit, quibus omnia uerso  
 Per tam dissimilem uolueret orbe rotam.  
 Ut ratio nihil esse manens humana uideret,  
 Cui tuto quisquam fidere posset homo.  
 Plurima cognoui, sed Et inter plurima uidi  
 Iusticiam iusto sæpe nocere suam.  
 Hoc quoq; prospexi, quod qui uir mutilis esset,  
 Ex ipsa felix impietate foret.  
 Ne sapias igitur nimium, nec iustior æquo  
 Esse uelis, ne quid tu quoq; triste feras.  
 Ne tamen accedas stolidis, nec ad impia flectas,  
 Nam male qui faciunt ista, perire solent.  
 Ut tamen euites hæc tanta pericula, certa est,  
 Et qua non falli conditione queas:  
 Crede Deo: quicumq; Deum reueretur, istas  
 Mortiferas pestes perpetuo effugiet.  
 Cultorem sua sæpe iuuat sapientia, plus quam  
 Auxilio primi quinq; bis esse queant.  
 Nemo est tam sapiens, tam iustus nemo erit unquam,  
 Quem sine peccato uiuere posse putes.



Quare ne uacuum cito delatoribus aurem  
 Præbueris, res hæc perniciofa tibi eſt.  
 De te ne cogare dolos audire tuorum,  
 Verbaq; in aure tua uix habitura fidem.  
 Scis & in abſentes quoties ſis ipſe locutus  
 Verba apud aſtantes non repetenda tibi.  
 Omnibus his tentata meum ſapientia pectus  
 Erudijt, uolui diſcere plura tamen.  
 Iam ſupra humanos conantem aſcendere ſenſus,  
 Omnia credentem noſcere deſeruit.  
 Non capit humanæ uecors ignauia mentis,  
 Nullius ingenij uis aperire poteſt.  
 Quo ſit conſilio Deus uſus in omnibus iſtis,  
 Condita perpetua quæ ſtabiliuit ope.  
 Inde operæ precium uisum eſt mihi diſcere quicquid,  
 Certa aliqua ſciri ſub ratio poteſt.  
 Impietas quæ ſtulticiæ comes addita, quod ſit  
 Impietatis opus diſcere cura fuit.  
 Dum meditor, uideo mulier quod acerbior ipſa  
 Morte ſit, atq; omni durior exitio.  
 Quæ uenatorum ſimilis, ſed pluribus una  
 Tendens occultis retia compedibus.  
 Illius incauti laqueis captantur amantes,  
 Illius ignauos umcula dura ligant.  
 Retia corde gerit, manibus ſua umcula neſcit,  
 Ingenio, forma, blandicijsq; nocens.  
 Dilectum ſibi peſte Deus ſeruabit ab illa,  
 Iſtos peccator concidet in laqueos.  
 Ecce, ait, hoc quoq; me docuit ſapientia rebus,  
 Ad res collatis, non niſi uera ſequi.



Iudice contuleram muliebria nomina fama,  
 Collatis eadem est causa peracta uiris.  
 Vnus mille uirum uix qui tolerabilis esset,  
 Mille puellarum nulla reperta bona est.  
 Hoc tamen inueni, quod rectum fecerit ipsum,  
 Quem genitor terra de genitrice tulit.  
 In præceptis tamen hunc ipsum retroque relapsum,  
 Naturæ partes non tenuisse suæ.  
 Sed cum posteritate sua reperisse malorum,  
 Innumerabilibus fanda nefanda modis.  
 Nam studia in diuersa abeunt, multasque per artes  
 Confundunt sortis munera quisque suæ.  
 Tam sapiens quis erit, res ut dijudicet istas?  
 Nemo sat has causas explicuisse potest.  
 Docti magna uiri commendat gratia uultum,  
 Et fugat atrocis nubila tristitiæ.  
 Hoc decet, hoc opus est sapientis nomine dignum,  
 Regis ut obseruet nomina, iussa fidem.  
 Inde Deo si teste aliquid iurauerit unquam,  
 Exhibitur sancta relligione ferat.  
 Tu uecors ne perge malis insistere, tanquam  
 A facie possis illius aufugere.  
 Nam cui confidas alij? quæcunq; placebunt.  
 Ipsi, perficiet cuncta potente manu.  
 Rex aliquid quocunq; loco mandarit, ibidem  
 Esse potestatem qua tenere puta.  
 Nec quisquam audeat aduersus consistere regi,  
 Quæue ea sint regis quærere iussa sui:  
 Nam qui mandato patienter obedit, ab omni  
 Liber erit tetri colluione mali.



Temporis hora quidem pauld post illa futura est,  
 Corpora qua pœnæ noxia subijciat.  
 Nam Deus hoc statuit tempus, quo iudicet omnes,  
 Quo sua pro meritis præmia quisq; ferat.  
 Nec præscire datur, cui quid contingere possit,  
 Quid uentura boni, quid ferat hora mali.  
 Et si scire queat, quid sciri conuenit istuc?  
 Nemo animum potis est continuisse suum.  
 Nec uires poterunt ullæ prodesse potentis,  
 Proxima cum diræ tempora mortis erunt.  
 Nec spes est se posse ista subducere pugna,  
 Quæ morti & nobis est obeunda semel.  
 Nec malus impietate sua seruatus abibit,  
 Sed mala supplicio conueniente luet.  
 Talibus insistens studijs ego plurima uidi,  
 Quæ mala sub magni lumine solis erant.  
 Alter ut imperio nixus premat alterius res,  
 Hic ut cogatur iussa superba pati.  
 Pulcra mali placidæ degebant ocia uitæ,  
 Cladibus assiduis tempora fracta boni.  
 Sacrilegos uidi post impia facta sepultos,  
 Principe qui uiui prima tulere loco.  
 Horum nemo fuit memor amplius, hoc quoq; stultum,  
 Hæc quoq; res uani plena furoris erat.  
 Sed quia non subito pœna afficiuntur iniqui,  
 Innumeri uiuunt absq; timore mali,  
 Mille aliquis peccat uicibus, centenaq; patrat  
 Crimina, nec quicquam sustinet inde mali.  
 Quanquam humana tamen differt patientia rebos,  
 Fabulaq; hæc multis blanda uidetur agi.



Hos solos scio felices tamen esse futuros,  
 Qui metuunt uera simplicitate Deum.  
 Quantumuis felix appareat impius, ipso  
 Hoc miser est, uera quod bonitate caret.  
 Insuper & multos uiuat longæuus in annos,  
 Et numeret uitæ tempora multa suæ.  
 Tam subitò tamen ipsius quoq; uita peribit,  
 Quàm leuis in nullo quæ manet umbra loco.  
 Vidi iterum quo non aliud sit inanius usquam,  
 Idq; frequens hominum rebus adesse malum.  
 Debita peruersis iustos mala ferre uidemus,  
 Quæ iustos decuit commoda ferre malos.  
 Tanquam iustus agat male, sint bona facta malorum,  
 Res est stulticiæ plena, molesta, grauis.  
 Optima uisa igitur, quæ sit lætissima, uita est,  
 Vita suis nunquam non fruitura bonis.  
 Qui sapiens igitur, genio indulgebis, & hic est  
 Optima qui solus commoda fructus habet.  
 Hinc magis ut saperem noctesq; diesq; studebam,  
 Quàm sit & hæc uarijs obruta uita malis.  
 Et didici, quia nemo potest rationibus ullis  
 Nosse creatoris facta stupenda Dei:  
 Et quanto super his cura maiore labore,  
 Tanto plus anima deficiente premi.  
 Imò ea si sapiens studeat nouisse, laborem  
 Perdet, & hoc etiam nomine stultus erit.  
 His animo contemplatus, constanter inhærens,  
 Diuina agnoui cuncta ea facta manu.  
 Quicquid agat sapiens, iustus, malus, impius, ipsum  
 Cuncta potestati supposuisse suæ.



Nemo etenim nouit num sit uel dignus amari,  
 Aut odio: quis enim talia scire potest?  
 Omnia ad interitum tendunt mortalia cundem,  
 Et lex è cunctis excipit ista nihil.  
 Non magis euadet iustus, quàm qui impius est uir,  
 Non insons fontem sorte præire potest.  
 Non sacra placandas faciens libamina ad aras  
 Contemmente Deum tutior esse potest.  
 Tam facere assuetus periuria multa peribit,  
 Quàm qui sic metuit displicuisse Deo.  
 Omnibus è rebus, quas de super aspicit æther,  
 Hæc res exemplo deteriore caret.  
 Cuncta quod occasum repetunt discrimine nullo,  
 Quod quæ peragenda est omnibus, una uia est.  
 Nam quia proueniunt eadem omnibus omnia, sancti et  
 Quod genus humanum possit habere, nihil.  
 Sic mala quæ faciunt semper peioribus augent,  
 Donec ad infernas mors uocet atra domos.  
 Ut canis æthereas qui nondum deserit auras,  
 Quam leo, plus aliquid, lumine cassus, habet.  
 Sic homo uiuus adhuc illi, qui nuper ad undas,  
 Transierit Stygias, antefereendus erit.  
 Hoc etenim præstant uiuentes lumine castis,  
 Quod restare sibi fata futura sciunt.  
 Hoc etenim quia uiuenti sperare relictum est,  
 Per mala spes animos ad meliora leuat.  
 Illorum nihil extincti nouere, nec ultra  
 De uiuis aliquod quod meditentur habent.  
 Sed nec amicitias ultra nouere, nec hostes,  
 Inuidiæ quæ nihil, perfidiæ quæ nihil.



Quid dubitas igitur? nunc t tua dulcia lætus  
 Vina bibe, & lætus uescere pane tuo.  
 Esse etenim debes iamdudum, certior, ipsum  
 Quod non displiceant quæ facis, ante Deum.  
 Assiduo niteat uestis tua splendida cultu,  
 Imbuat ornatum nardus odora caput.  
 Coniugij dulces cara cum coniuge fructus.  
 Carpe, & legitimi perfer amoris onus.  
 Quæ tibi coniunxit sese iuuenilibus annis,  
 In seros maneat fac tua sola dies.  
 Hæc etenim propriè tua sunt, hæc illa laboris  
 Præmia, qui requiem non sinit esse tibi.  
 Quæ facienda uides, & quæ facienda putabis,  
 Ut recte facias, strenuus esse uelis:  
 Horum namq; operum, quorum plenissima uita est,  
 (Si modo quod plenum est plenius esse potest)  
 Manibus in medijs quo tam properanter anhelas,  
 Nec lex, nec ratio, nec locus ullus erit.  
 Mox didici non esse agilem, qui currere possit,  
 Quod neq; sint fortes, qui fera bella gerunt:  
 Quodq; nec ipsa sibi pariat sapientia uictum,  
 Sed neq; uir magnas ingeniosus opes:  
 Quod non artificij sua per se gratia uenit,  
 Omnia sed casu temporis ista dari.  
 Nemo suæ melius cognouit tempora mortis,  
 Quàm pisces hamum, quàm graue uimen aues.  
 Sicut aues uisco, pisces capiuntur ab hamo,  
 Sic homo non cautus retia mortis adit.  
 Sed tamen hic quædam mihi adhuc sapientia uisa est  
 Ipsaq; me certe iudice, magna fuit.

Vrbs



Vrbs fuit exigua murorum cincta corona,  
 De cuius pauci ciuibus intus arant.  
 Venit & obsessam cinxit rex fortibus armis,  
 Præcludens positis turribus omne latas:  
 Vnus erat sapiens tam parua pauper in urbe,  
 Seruator patriæ uir fuit ille suæ.  
 Consilijs siquidem repulit sapientibus hostem,  
 Quem ciues armis non potuere suis.  
 Et fuit ignotus post hic ut & ante periculum,  
 Nulla quidem ratio pauperis esse solet.  
 Tunc ego cognoui, quoniam sapientia præstat  
 Viribus, & ualeant arma sine arte nihil.  
 Et contempta tamen sapientia pauperis huius,  
 Credita tam longo tempore nulla fuit.  
 Verba uiri quem sublimem sapientia tollit,  
 Quanquam sedato pectore pauca sonet.  
 Plus tamen efficient, & plus rationis habebunt,  
 Quàm fera quæ stulti principis ora tonant.  
 Instrumenta feri uincit sapientia belli,  
 Arma, globos, clypeos, spicula, pila, faces.  
 Interea quicumq; aliquo delinquit in uno,  
 Exiguo magnum tempore perdet opus.  
 Sicut in unguentum muscæ cum fortè cadentes  
 Intereunt, fragrans languet & exit odor:  
 Sic sapienti adimunt permagnum sæpe decorem  
 Paruula stulticiæ signa notata leuis.  
 Sic graue consilium sapientis sæpe malignus  
 Dissipat, & fatuo pectore multa nocet.  
 Cor gerit in dextra sapiens animumq; uirilem,  
 Illius ut possit cum uolet esse potens.



Cor gerit in læua fatuus, quia libera nunquam,  
 Nec compos ratio est illius ipsa sui.  
 Semper enim comitatur iners ignauia stultum,  
 Siue abiturus eat, seu rediturus eat.  
 Et tanquam ipse alijs sapiat plus, desipere omnes,  
 Et stultos numeris omnibus esse putat.  
 Siquis te aduersum consurgat fortior, & te  
 Deprimat, & uoti iam sibi compos erit.  
 Ne te commoueas, nec debes uelle priorem,  
 Tam facili caussa, deseruisse locum.  
 Et cecisisse loco sæpe & simulasse tacendo,  
 Pluribus occlusit limina certa malis.  
 Grande frequensq; malū princeps ignarus & excors  
 Qui loca non æquo diuidit æqua gradu.  
 Quos nunc extollit deiectos esse decebat,  
 Despicitur sapiens, præmia stultus habet.  
 Vidi etenim seruos celsis residere caballis,  
 Ac si hic non Dominis debitus esset honor.  
 Vidi etiam Dominos pedites incedere tanquam  
 Hic minime seruis debitus esset honor.  
 Qui foueam fodit, is metuat ne forsan in illam  
 Incidat, & damnum quod parat ipse ferat.  
 Sepem deiiciens, caueat ne mordicus ipsum  
 Dente uenenato uipera corripiat.  
 Destituent uires prægrandia saxa mouentem,  
 Ligna secans raro tempore sanus abit.  
 Obtusum nimia si sit rubigine ferrum,  
 Sic ut nec duro rumpere cote queas.  
 Restat ut auxilium præstet sapientia docti  
 Artificis, sine qua nil bene perficitur.

NAM



Nam res difficiles sapientia sæpe peregit,  
 Et faciles causas reddidit ante graues.  
 Sibila qui mittens non ulla momorderit anguis,  
 Insidiatori dixeris esse parem.  
 Multa est è grauibz sapientis gratia uerbis,  
 Obruet hanc stulti perfida lingua uiri.  
 Stulticiam uerba ipsa sonant, quæ prima profatur,  
 Ultima mortiferi signa furoris habent.  
 Multa loqui stultus solet ac sine pondere uerba,  
 Et quæ plus uocis quam rationis habent.  
 Ignorant homines præsentia, nulla futuri est,  
 Quod ratio hæc nunquam cognita teste caret.  
 Stultos affliget conatus inutilis ipsos,  
 Quod rectam nequeant prorsus mire uiam.  
 Viuere quod nequeant ciuilitate, & quia nusquam  
 Inueniant ubi se posse manere putent.  
 Heu patria infelix puerum sortita tyrannum,  
 Cuius auara duces fercula mane uorant.  
 Felicem patriam cui dat sapientia regem,  
 Et qui cum sit opus strenuus esse potest.  
 Cuius tempestiua serunt conuiuia primi,  
 Ut ualeant, luxu non ut inerte fluant.  
 Tigna domus Domini dissoluet inertia, & intro  
 Stillabunt pluuij, si sinat ipse, uoti.  
 Tantum ad delicias cœnas, & prandia querunt,  
 Sola uoluptati uina parata bibunt.  
 Horum nequiciæ congesta pecunia seruit,  
 Quam solam magni numinis instar habent.  
 Ne malè quid de rege tuo cum corde uoluta,  
 Præpositos ab eo ne reprehende duces.



Huius enim uocis si nemo aliunde sit index,  
 Quæ cælo uolitat non reticebit auis.  
 Mitte tuum ne parce tuum, modo projice panem  
 In latum fluium prætereuntis aquæ.  
 Nam rursum inuenies illum post tempore longo,  
 Magnum quæ data sunt munera fœnus habent.  
 Ne tua sit constricta manus, da largiter omni  
 Cui sit opus, prompta quisquis egebit ope.  
 Ignoras etenim mala quæ uentura trabantur,  
 Quidue hodierna ferat crastina quidue dies.  
 Si multo fuerint nubes humore grauata,  
 Arida fructiferis imbribus arua leuant.  
 Arbor seu pluuium succisa inclinet in Austrum,  
 Seu Boreæ spectet frigida regna trucis.  
 In quamcumq; cadat partem, prostrata recumbet,  
 Nec mutare potest amplius ipsa locum.  
 Qui uentos nimium ratione obseruat acuta,  
 In uacuo nunquam semina sparget agro.  
 Qui metuit pluuias, & nubes imbre grauatas,  
 Fructiferæ nunquam tempora messis aget.  
 Ventus ut ignoras unde astit, quoq; recedat,  
 In grauida quo sint ossa ligata modo:  
 Sic operum nosces nec de tot millibus unum,  
 Quæ magna omnipotens hic & ubiq; facit.  
 Tempestiua tuum iace semina mane per agrum,  
 Nec tua sit sero uespere lenta manus.  
 Nempe quod ignores, an quæ sata prima fuerunt,  
 An quæ sera, boni sunt habitura magis.  
 Quod si proueniant fructus ab utroq; benigni  
 Tempore, iam uoti summa peracta tui est.

Omnibus



Omnibus est lucis gratia suauissimus usus,  
 Gratum oculo solis posse uidere iubar.  
 Si quis ad ætatis plures peruenerit annos  
 Suauiter aduersi cui nihil acciderit :  
 Inde recordatus quæ uiderit omnia, quæq;  
 Senserit, & quæ tam multa fuisse sciat.  
 Omnia uana fuisse, & fluxa, & inania dicit  
 Omnia quod ueniens auferat hora breuis.  
 Obsequere ergo animo iuuenis, dum uernat & <sup>atq;</sup>  
 Et flos dum nouus est indolis iste tuæ.  
 Indulge genio, sequere omnia læta, tuosq;  
 Pasce oculos, animus quicquid amabit ama.  
 Dum tamen interea tecum meditare, sciasq;  
 Iudice facta isthæc excutienda Deo.  
 Stulticiæ similem ne corrueris pronus in iram,  
 Et tua quod cruciet corpora tolle malum.  
 Namq; opera incautæ sunt omnia uana iuuenta,  
 Et quod post illam tempus, & ante uenit.  
 Ergo creatoris memor, hunc reuerenter adora,  
 Intëgra adhuc æui dum uiret herba tui.  
 Ne te præueniant magnorum foeta malorum  
 Tempora, quiq; tibi tristior annus eat.  
 Dicere quæ possis tibi non placuisse, quod illis,  
 Iam subeant animo tædia longa tuo.  
 Ante tibi tenebræ, quàm fiant omnia, & auræ  
 Nigrescant, lucem Sol neget, astra negent.  
 Quàm uideas reduces pluuiæ post tempora nubes,  
 Quàm fuit heu multis hæc odiosa dies.  
 Fallor an hæc metues tunc, cum custodibus ipsis,  
 Totius incipiet robur abesse domus.

Quæ



Quando incuruabunt prono se poplite fortes,  
Fractæ cessabunt organa pauca molæ.

Quando offenduntur multa caligine, qui nunc  
Ceu per cancellos, omnia clara uident.

Ostia cum stabunt solitarum clausa uiarum.

Exilis trepidæ uox molitricis erit.

Ad uolucrum cantus ubi consurgetur, & omnis  
Ante uirens, cantus filia, fiet anus.

Alta uiam metuent facientia, cana uirebit,  
Arbor amygdalino germine facta grauis.

Quando onerabuntur cariosæ membra locustæ,

Non erit in mensa carperis ulla super :

Tunc homo qui sensit fieriq; hæc omnia uidit,

Ibit in æternæ limina certa domus.

Funiculus quanquam hic argenteus ante feratur,  
Aureoli fontis quàm stupefiat aqua.

Hydria fontanam quàm confringatur ad undam,

Quàm gemat ad puteum uersio fracta rotæ.

Quàm leuis in terram redeat puluisculus, ex qua

Ipsè quoq; existens terra profectus erat.

Spiritus ad superos redeat patriamq; reuisat,

Vnde ad mortales ante profectus erat.

Omnia sunt omni uanissima tempere, dixit,

Concio cui uerax nomina uera dedit.

Qui quia præreliquis sapiens fuit, omnia fecit,

Queis populum posset constituisse suum.

Omnia scrutatus prouerbia plurima scripsit,

Scripta alijs etiam, sed meliora dedit :

Vilia in primis & scitu digna reliquit,

Et dedit baud falsa plurima scripta fide.

a

Hoc



Hoc quæ scripta uides sapientum uerba libello,  
 Clauos & stimulos dicere iure queas?  
 Quæ licet à multis fuerint descripta magistris,  
 Sunt tamen ex uno cuncta profecta uiro.  
 Cætera mi fili fuge, quæ cognoris ab istis  
 Omnia non sancta tradita uerba fide.  
 Nam loca sunt scriptis nunc omnia plena libellis,  
 Quorum nec finis, nec modus esse potest.  
 Et nimis exhaurit uires, corpusq; fatigat  
 Sermo, quem nimium copia longa facit.  
 Iam quis sit rerum finis, quæ meta laborum,  
 Hoc operæ precium noscere grande fuit.  
 Mente Deum tota metuens, quæ tradidit orbi  
 Condita sub fido pectore iussa tene.  
 Summa hæc humano generi, sed & unica lex est  
 Tradita, qua sine lex altera nulla ualet.  
 Omnia iudicio Deus hæc definiet æquo,  
 Nunc quoq; quæ multa nocte sepulta iacent.  
 Omnia discutiet Deus omnibus arbiter æquus,  
 Sed bona, seu fuerint deteriore nota.

FINIS.



# INDEX PSAL- MORVM.

## Numerus.

psal.		Pag.
110	<b>A</b> D Dominum cum tribularer	182
118	<b>A</b> D te Domine clamabo Deus	58
119	Ad te Domine leuavi animam meam	52
123	Ad te leuavi oculos meos, qui	286
139	Afferte Domino filij Dei afferte	60
78	Attendite popule meus legem meam	173
49	Audite hæc omnes Gentet aurib.	107

## B

119	Beati immaculati in uia qui ambulant.	368
128	Beati omnes qui timent Dominum	292
32	Beati quorum remissæ sunt iniquit.	97
41	Beatus qui intelligit erga egenum	92
1	Beatus uir qui non ambulauit in	2
122	Beatus uir qui timet Dominum	255
34	Benedicam Dominum in omni tem.	72
103	Benedic anima mea Domino	229
104	Benedic anima mea Domino	232
144	Benedictus Dominus Deus meus	318
65	Benedixisti Domine terram tuam	192
92	Bonum est confiteri Domino. & psal.	110

## C

82 96 C48a



I N D E X.

96	Cantate Domino canticum nouum	219	60
98	Cantate Domino canticum nouum, quia	221	58
149	Cantate Domino canticum nouum, laus	322	79
19	Cæli enarrant gloriam Dei	40	94
9	Confitebor tibi Domine, narra.	11	115
111	Confitebor tibi Domine in concilio iust.	251	18
138	Confitebor tibi Domine in toto corde	301	39
75	Confitebimur tibi Deus confiteb.	167	110
105	Confitemini Domino & inuocate	235	16
106	Confitemini Domino quoniam bonus	239	14
118	Confitemini Domino quoniam bonus	265	52
107	Confitemini Domino quoniam bonus	243	141
136	Confitemini Domino quoniam bonus	302	7
16	Conserua me Domine quoniam sper.	31	88
4	Cum inuocarem exaudiuit me	5	8

D

130	De profundis clamaui ad te Domine	219	6
44	Deus auribus nostris audiuius	95	38
50	Deus Deorum Dominus locutus	110	131
22	Deus Deus meus respice in me	46	139
63	Deus Deus meus ad te de luce uigilo	116	3
70	Deus in adiutorium meum intende	154	15
54	Deus in nomine tuo saluum me fac	111	90
72	Deus iudicium tuum regida	110	12
109	Deus laudem meam ne tacueris	245	24
67	Deus miserator nostri & benedicat	150	27
46	Deus nostrum refugium & uirtus	101	23
83	Deus quis similis erit tibi ne taceas	168	93



I N D E X.

217	60	Deus repulisti nos & destruxisti nos	131
211	18	Deus stetit in synagoga Deorum	187
321	19	Deus uenerunt Gentes in hereditatem	180
40	94	Deus ultionum Dominus Deus	313
115	115	Dilexit quoniam exaudiet Dominus	203
18	18	Diligam te Domine fortitudo mea	35
391	39	Dixi custodiam uias meas, ut non	86
107	110	Dixit Dominus Domino meo, sede	252
235	10	Dixit iniustus ut delinquat in	77
239	14	Dixit insipiens in corde suo, non est	116
265	52	Dixit insipiens in corde suo, non est	28
243	141	Domine clamaui ad te exaudi me	312
302	7	Domine Deus meus in te speraui	13
31	88	Domine Deus salutis meae in die	197
8	8	Domine Dominus noster quam ad.	16
102		Domine exaudi orationem meam	226
143		Domine exaudi orat. meam auribus	325
21		Domine in uirtute tua letabitur	44
39	6	Domine ne in furore tuo arguas	21
96	38	Domine ne in furore tuo arguas	83
111	131	Domine non est exaltatum cor meum	395
46	139	Domine probasti me & cognouisti	308
136	3	Domine quid multiplicati sunt	5
144	15	Domine quis habitabit in taber.	29
111	90	Domine refugium factus es	295
116	12	Domine saluum me fac quoniam	25
243	24	Domini est terra & plenitudo eius	51
150	27	Dominus illuminatio mea & salus	56
101	23	Dominus regit me & nihil mihi de.	50
168	93	Dominus regnauit decorem indut.	212
		4 3	97 Dqa



I N D E X.

- 97 Dominus regnauit, exultet terra  
 99 Dominus regnauit irascantur

E

- 134 Ecce nunc benedicite Domino  
 133 Ecce quàm bonum & quàm iucundum  
 59 Eripe me Domine de inimicis meis  
 140 Eripe me Domine ab homine malo  
 45 Eructauit cor meum uerbum bonum  
 145 Exaltabo te Deus meus rex  
 80 Exaltabo te Domine quoniam  
 61 Exaudi Deus deprecationem  
 55 Exaudi Deus orationem meam  
 64 Exaudi Deus orationem meam  
 17 Exaudi Domine iusticiam meam  
 20 Exaudiat te Dominus in die tribul.  
 40 Expectans expectaui Dominum  
 81 Exultate Deo adiutori nostro  
 33 Exultate iusti in Domino, rectos  
 68 Exurgat Deus & dissipentur inimici

F

- 87 Fundamenta eius in montibus san.

I

- 86 Inclina Domine aurem tuam  
 126 In conuertendo Dominus captiuitat.  
 11 In Domino confido quomodo  
 114 In exitu Israël de Aegypto  
 31 In te Domine speraui non confundar  
 71 In te Domine speraui non confundar



I N D E X.

86	Iubilare Deo omnis terra, psallite	131
100	Iubilare Deo omnis terra, seruite	224
15	Iudica Domine nocentes me	74
43	Iudica me Deus, & iudica causam	95
26	Iudica me Domine, quoniam ego	34

L

146	Lauda anima mea Dominum	322
148	Laudate Dominum de cœlis	326
150	Laudate Dominum in sanctis eius	329
117	Laudate Dominum omnes Gentes	264
147	Laudate Dominum quoniam bonus	324
135	Laudate nomen Domini, laudate	300
113	Laudate pueri Dominum, laudate	257
122	Lætatus sum in his quæ dicta sunt	284
121	Leuavi oculos meos in montes	283

M

48	Magnus Dominus & laudabilis	105
132	Memento Domine Dauid, & om.	295
51	Miserere mei Deus secundum ma.	111
56	Miserere mei quoniam	123
37	Miserere mei Deus miserere mei	125
101	Misericordiam & iudicium cantabo	225
89	Misericordias Domini in æternum	199

N

127	Nisi Dominus ædificauerit domum	290
	4 4	124 Nisi



I N D E X.

124	Nisi Dominus fuisset in nobis	187
37	Noli æmulari in malignantibus	73
62	Nonne Deo subiecta erit anima	134
76	Notus in Iudæa Deus, in Israël	163

O

47	Omnes Gentes plaudite manibus	104
----	-------------------------------	-----

P

108	Paratum cor meum Deus paratum	147
-----	-------------------------------	-----

Q

2	Quare fremuerunt Gentes &	1
73	Quàm bonus Israël Deus his	161
84	Quàm dilecta tabernacula tua	158
42	Quemadmodum ceruus desiderat	53
125	Qui confidunt in Domino sicut	253
52	Quid gloriaris in malicia	115
91	Qui habitat in adiutorio altiss.	207
88	Qui regis Israël intende, qui	162

S

69	Saluum me fac Deus quoniam	150
129	Sæpe expugnaverunt me à iuuent.	252
58	Si uere utiq; iusticiam loquimini	127
137	Super flumina Babylonis illic sedim.	305

T

65	Te decet bymnus in Sion	119
----	-------------------------	-----



**I N D E X.**

187			
73			
134	55	<b>Venite exultemus Domino</b>	<b>319</b>
163	1	<b>Verba mea auribus percipe Dom.</b>	<b>8</b>
	77	<b>Voce mea ad Dominum clamaui</b>	<b>170</b>
	143	<b>Voce mea ad Dominum clamaui</b>	<b>314</b>
104	13	<b>Vsq; quo Domini obliuisceris</b>	<b>26</b>
	74	<b>Vt quid Deus repulisti in finem</b>	<b>164</b>
	10	<b>Vt quid Domine recessisti</b>	<b>31</b>

**F I N I S.**



PSALMVS II. QVA

RE FREMVERVNT GENTES, RED  
ditus à Stigelio, Illustrissimo Principi Philipo  
po, Duci Pomeraniae dedicatus.

**Q**uæ tamen effrenes cepit dementia Gentes,  
Quæ populos tanto caussa furore mouet?  
Quæ noua clamosum rapit indignatio uulgus,  
Ardua cur fremitus tantus in astra furit?  
Vndiq; conueniunt terraq; mariq; potentes,  
Consilijsq; nouis cepta nephanda parant.  
Sæua rebellantes coeunt in fœdera reges,  
Ut summi impediunt iussa uerenda Dei.  
Impia crudeles meditantur bella tyranni,  
E medio ut tollant corda professa Deum.  
Nec furor hic tantum reges inuasit, & illos  
Qui populos certa sub ditione tenent.  
Qui præsumunt templis, mystarum & nomina iactant,  
Oppugnant ipsum turba maligna Deum.  
Illi omnes ima delere à stirpe laborant,  
Qui tradunt uera cœlica uerba fide.  
Quin etiam clamant rumpamus fœdus eorum,  
Quid patimur tanta non patienda mora?  
Quid dubitamus adhuc nostras opponere uires,  
Atq; intentatum ui prohibere iugum?  
Sed Deus è cœlis conatus ridet eorum,  
Signaq; uindictæ dat manifesta suæ.  
Ille suo pœnas iratus tempore sumens,  
Consilia effectus non habitura premet.

Non



V  
RE  
ilip  
entes  
mouet  
ctant  
es  
Nam quamuis oculis quasi coniuentibus illos  
Nequiciam ad tempus continuare finit :  
Supplicium certam tamen exigit ultor ad horam  
Impietas illum fallere nulla potest.  
Hei grauis, atq; ipsa res est dignissima morte,  
Aduersus iustum bella mouere Deum,  
Non armis diuina potest sapientia unci,  
Omnia quæ nutu fecit, & esse uetat.  
Ecce Deus regem statuit supra alma Sionis,  
Et supra Solymæ templa beata plagæ.  
Ille Dei toto pandens oracula mundo,  
Talia miranda nuncia uoce feret.  
Rex ego perpetuum descendens numen ab illo  
Qui sine principio est, qui sine fine Deus.  
Prædico præceptum sancti cæleste parentis  
Qua loquar, è cælo uox ea missa uenit.  
Filius es, dixit, mihi tu dilectus & unus,  
Ipse hodie dicar te genuisse pater.  
Exige iure tuo, dabimus quodcunq; rogabis,  
Nil poterit pietas nostra negare tibi.  
Hæredem agnoscent nostro te munere Gentes,  
Sub ditione tua uesper & ortus erunt.  
Ut fragiles testas, tua conteret ira Tyrannos,  
Qui reuuent sceptri iura uerenda tui.  
Talia gauiso memorabit nuncia mundo,  
Aeterni ueniens filius ille Dei :  
Ille intercedens ueteris pro crimine culpa,  
Aspera cum sæua prælia morte geret.  
Tum uictor domito referens ex hoste triumphum  
Et Rex, & Dominus totius orbis erit.

Nec




Nec tantum populos Iessæo semine natos,  
Imperio adiungent, subdita membra suo.  
Verum etiam Gentes, quæ tantum idola secuta  
Noticiam ueri non habuere Dei.  
Quem si qui renuent dominantem agnoscere regem  
Hei qua supplicium conditione dabunt?  
Tam facile hos poterit disperdere funditus hostes,  
Illius ira uelut ferrea uirga premens.  
Quàm facile abscedens in plurima frustra fatiscit,  
Cum quatitur figuli fictilis olla manu.  
Ergo omnes populi uenientem agnoscite Christum,  
Atq; ipsi læta fronte parate uiam.  
Sed uos præcipue reges, qui sceptrâ tenetis,  
Quos populi certa sub ditione timent.  
Discite iusticiam moniti, & non temnere Christum,  
Vniua qui uestræ causâ salutis erit.  
Discite non falso Domino seruire timore,  
Nec careant aliquo gaudia uestra metu.  
Qui genus humanum fraterno amplexus amore,  
Inclita pro uestra uictima morte uenit.  
Excipite unanimes cupidis amplexibus illum,  
Illi per medias oscula ferte uisus.  
Illius tota doctrinam apprendite mente,  
Corrigat errores impia uita suos.  
Ne quando iustam uindex accensus in iram,  
Obruat in media uos leuitate Deus.  
Nam subito iustum caput illius ira furorem,  
Tempore quæ longo uisa sepulta fuit.  
Efficite ut sancti clarescat gloria uerbi,  
Gratior est summo functio nulla Deo.



Non amat externo delubra sonantia cultū,  
Non amat imposito munera thure Deus.  
Officia ex animo, fidoq; oblata timore  
Respicit, & quorum est unica causa fides.  
Aurea marmoreis educere templa colossis,  
Ponere miranda signa peracta manu.  
Pontificum ingentes alere, & producere pompas,  
Res ea sinceræ nil pietatis habet.  
Vestrum est per populus diuinum extendere uerbū,  
Hinc sacra uos seruos uox iubet esse Dei.  
Qui tali officio Domino placuisse laborant,  
In cælo precium pro pietate ferunt.  
Atqui ceu longo deuicti corda ueterno,  
Respectum officij non habuere sui.  
Obruet hos Dominus, nil quicquam tale timentes,  
In media ut pœnas impietate luant.  
O felix quicumq; Deo confidit, & illum  
Per uitæ sequitur cuncta pericla ducem.

FINIS.








ὁ νόμος ὁ δεκάλογος μὲν ἐν ἰσχυροῦσι κατὰ δαίμονα,  
ὁ δὲ χάρις ὁσέτι οἰκτιρῶς ἐμοὶ σάκευ βεβηλῶς,  
ἢν μόνον θεὸς λόγον ἀνάγει ὡς ἐπὶ ἀλιτῶσι. Nazianzenus  
Non lex non divina, nec bona opera me salvabunt, sed tua gratia  
cuius mihi misericordia mihi inhihletur polluto, quam solum miseris o rex  
exhibet spem peccatorum.







M.


ne,

M.

bunt,

nt.







18. pc  
Wagn 18. pc  
Graf von Sinsheim

17. pc  
Bayerische Staatsbibliothek  
München

*[Faint handwritten text]*





DOMINE XAVIERE REGINA  
ET INTRA IUDICIA CUM SE  
PVOTVOVIACRAM ET VI





Th  
5831